

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

3 Nollini.

1. Gerhard de Vries
De natura Dei et humanae mentis
determinationes pneumatologicae
1687 3 1690
2. Gerhard de Vries
De catholicis rerum attributis.
determinationes onto logicae. 1687
3. Wilhelm von Jheronim
De intellectu facultate ree activa
disquisitiones pneumatologicae. 1734
4. Friedrich Adolph Lampe (1683-1729)
Compendium theologiae naturalis
ed. 1753
5. Johann Christoph Stockhausen (1725-1784)
Theologiae naturalis inter gentes sane
rationis principiis applicatae specimen.
1747

COMPENDIUM
THEOLOGIÆ
NATURALIS
IN SCHOLÆ PRIVATÆ USUM
CONCINNATUM

A

FRID. ADOLPHO LAMPE,

*SS. Theologiæ in Academia &
Ecclesia Trajectina Doctore.*

EDITIO NOVA ET EMENDATOR.



TRAJECTI ad RHENUM,

Apud { NICOLAUM A VUCHT,
GYSB. TIEME A PADDENBURG,
ET
ABRAHAMUM A PADDENBURG.

M D C C L I I I ,

COMPENDIUM
THEOLOGIE
NATURALIS

IN SCHOLÆ PRIVATÆ USU
CONCINNATUM

A

ERID. ADOLPH. LAMM.

22. Theologie in quatuor
Ecclesiæ Tractatione Dagiæ.

EDITION NOVA ET IMPENDATOR.



TRACTATIÆ DE RHENICO

NICOLAUM V. LECHT.
EGYPT. TITANI A PARADISO
ABRAHAM

ALBANUM A HABESMO

MDCCLII.

COMPENDII THEOLOGIÆ NATURALIS PRÆCOGNOSCENDA.

DEFINITIO.

I.  THEOLOGIA NATURALIS est doctrina de *Religione*, seu de *Deo cognoscendo & colendo*, quatenus ex solo lumine *naturæ* per facultates *naturales* hominis innotescit.

II. Argumentum adeoque, quod tractat, est vera *Religio*; cuius in tanta Religionum diversitate tum *objectum*, tum *modum* pro virili explanare contendit; unde sequitur, quod *Theologia Naturalis Religios naturalis* fons ac *norma*, hæc vero ejus *finis* sit, & utraque æque late pateat.

III. Convenit ergo cum *Theologia Re-*
A
ve-

velata, quoad *Authorem*, *objectum*, & *scopum*; sed ab eadem differt tum quoad *principium* seu *normam*, tum quoad *limites*, dum nisi per *Revelationem* altius *evertatur*, infra ejus *mysteria* subsidit.

IV. Circa duo potissimum puncta versatur, nempe circa *cognitionem* & *cultum* Dei. Prius *absolvit* partem ejus *theoreticam*; posterius *practicam*. Prius *Metaphysicam* realem & sublimiorem, posterius omnem scientiam *moraalem* ipsaque *Juris Naturæ* latifundia complectitur.

V. Patet ergo hoc Theologiae Naturali cum Revelata commune esse, ut sit scientia *practica*, quæ hominem *Religionis* vinculo constringens non solum *doctiorem*, sed etiam *meliorem* reddit, quod non observantes Gentiles, & *Philosophos* a *Sacerdotibus*, *Philosophiam* a *Doctrina Religionis* semoventes, illam in *Artheismum*, hanc in meram *superstitionem* *popularem* converterunt.

PRÆSTANTIA.

VI. Hinc sequitur, quanta sit hujus doctrinæ in se spectatae dignitas, cum in tali argumento versetur, quod omnium reliquarum scientiarum humanarum *objecta* longo

THEOLOGIAE NATURALIS. 3

longo intervallo exsuperat. Versatur enim circa *objectum omnium Præstantissimum*, quod *Deus* est, & ita late se pandit, ut ad omnes *Res scibiles* se diffundat, & quod in iis præstantissimum est, *Causam nempe primam & Finem ultimum edisserat.*

VII. Accedit utilitas, cum facultates hominis omnes per *objēctum*, quod tractat, certa ratione perficiat, atque adeo ad veram beatitudinem viam pandat.

VIII. Sed & reliquis disciplinis singularem lucem infert, cum non solum sublimiores & ad utilitatem publicam magis spectantes Philosophiæ partes *Metaphysica*, *Ethica*, *Politica* omne lumen ab illa multo accipient, sed etiam universæ *Philosophiæ* scopum, veræque *Jurisprudentiæ* fundamentum solidum exhibeat.

IX. Maximam autem utilitatem *Theologiae Revelatae* præstat, cujus partim *præambula* est, veritates, quas illa supponit, docens, partim *socia*, non solum quando *Revelationis* divina *Origine* convincit, sed etiam quando ipsorum *mysteriorum* divinitus revelatorum, quoad illa attingit, cum *decentia Dei* convenientiam demonstrat.

X. Quid autem magis *necessarium*, quam doctrinam rite percipere, sine cuius cognitione in meris tenebris versamur, nullum

est

A 2

laque



laque veri nominis felicitas possideri potest, præcipue cum eadem vim Legis ad obligandum conscientias omnium hominum habeat.

XI. In hac præcipue ætate *Atheorum* ac *Libertinorum* adeo ferace, qui Revelationis fidem, rejicientes domesticis armis si non convincendi, saltem constringendi sunt, ne eorum virus latius se diffundat, incautorumque animis insinuet.

XII. Sed & ad promovendam *Gentium* salutem nihil magis requiritur, quam ex illis principiis, quæ Sapientes eorum admittunt, superstitionis eorum falsitatem, nostræque Religionis veritatem adstruere.

IMPERFECTIO.

XIII. Neque tamen *Theologia Naturalis* Revelatae dubiam reddit præcellentiae palmam, cum & lumen illius per se ad salutem sufficiens non sit, & usus hujus luminis apud omnes homines a natura perversus sit, unde illa per se neque verae Religionis sufficiens *Magistra*, neque *Ductrix* ad veram *Beatitudinem* in præsenti rerum statu est. Inde tamen vero *Theologiae Naturalis* pretio nihil decedit, cum omnium disciplinarum humanarum
hæc

hæc communis sors sit, ut *imperfectione* laborent.

PRINCIPIUM.

XIV. Dari aliquod *commune principium*, ex quo de veritatibus & hujus & omnium aliarum inter homines disciplinarum indubitato convinci aliosque convincere possumus, adeo verum est, ut ipsa *Scepticorum* stultissima dubitatio pro eo peroret. Omnis enim *dubitatio* & illius, qui dubitat, *existentiam*, & rerum, de quibus dubitans cogitat, *diversitatem* supponit.

XV. Ad hoc *principium* requiritur, ut sit universale tam quoad *objectum*, ita ut omnis veritatis radicem in se contineat; quam quoad *subjectum*, ita ut omnibus hominibus *commune* sit, absque quo alios de veritate, quam ipsi agnoscimus, convincere non possumus.

XVI. Tale *principium* sistit lumen *Rationis* seu *Conscientiae*, utpote quod non tantum his postulatis perfecte sufficit, sed etiam extra quod nullum aliud *principium* monstrari potest. Unde aut nihil scitur, quod jam ut absurdum destruximus, aut in hoc principio erit acquiesendum.

XVII. *Ratio* potest considerari aut *subjective* aut *objective*. *Objectivam* tanquam

A 3 ipsum

6 PRÆCOGNOSCENDA.

ipsum illud lumen , quod quærimus , *subjectivam* tanquam luminis illius usum consideramus.

XVIII. Ratio *objectiva* comprehendit omnium rerum scibilium extantes in mente notiones , quæ sunt aut *simplices* aut *compositæ*.

XIX. *Notiones simplices* sunt ipsæ rerum *Ideæ* aut in mente expressæ formæ , quæ cum per naturam suam præcedant notiones compositas , merito ut *principium* ipsius *principii* considerari debent. Præcipue cum experientia nos doceat , quod sine illis nec cogitare de Deo rebusve quibuscumque , nec quærere , nec ratiocinari , aut quicquam affirmare vel negare , amare vel odiſſe possemus.

XX. Cum autem illæ *Ideæ* sint aut *simplices* ac *primigeniae* , aut *secundariae* ex *simplicibus* illis *compositæ* , hinc facile patet , quod priores proprie pro primis veritatis *feminibus* sint habendæ , cum posteriores pro compositionis ratione vel *veræ* vel *fictæ* esse queant , quod nisi natura primigeniarum bene inspecta , iisque rite inter se collatis , constare nèquit.

XXI. Quare tali etiam modo inesse eas menti oportet , ut certissimi atque universalis *principii* locum atque autoritatem habere queant.

THEOLOG. NATURAL. 7

queant. Rejectis ergo aliorum, de origine modoque existentiae Idearum in mente; cogitatis, quæ huic postulato non satisfaciunt, necessario supponendum est, eas per ipsam creationem ab Authore existentiae nostræ menti nostræ esse *inditas*, in eum finem, ut inde omnis cognitio veri originem trahat.

XXII. Neque tamen id volumus, has rerum species semper menti *presentes* esse, quod naturæ mentis finitæ est contrarium; sed tantum illas in thesauro mentis ita esse repositas, ut quotiescumque mens ad rerum contemplationem se determinat aut determinatur, in promptu statim hæ formæ sint, animumque de rebus cogitandi easque inter se conferendi facilitate imbuant.

XXIII. Notiones *compositæ* sunt tum *Axiomata communia* ex recta idearum compositione ita profientes, ut in illa quicunque attendens consentire cogatur, tum *Conclusiones* per legitimam ratiocinationem ex illis Axiomatibus proxime fluentes.

XXIV. *Infallibilem* his omnis cognitionis humanæ primis seminibus merito tribuimus *ceritudinem*, quia anticipando pro certo assumimus, quod cum nobis nihil in eas potestatis esse deprehendamus, ille idem, qui mentis nostræ, etiam harum no-

A 4 tionum

tionum Author sit, quem cum esse Ens sapientissimum, optimum, veracissimum ac potentissimum visuri simus, omnes has perfectiones destruunt, qui fallaces rerum formas ab illo mentibus nostris inditas esse afferere audent.

XXV. Sublata igitur *Rationis* in recto suo usu veritate omnis veri norma est sublata, ipsique qui eam oppugnant, obmutesceré debent, nihil profecturi, nisi sententiam suam *rationibus* adstruant, de quarum soliditate extincto Rationis lumine nemo convinci poterit.

XXVI. Quando adeoque in harum Idearum intuitu nexuve erratur, non in *Ratione objectiva*, sed duntaxat *subjectiva*, seu legitimo ejus usu, vitium latet.

XXVII. Quare, ut error evitetur, legitime in notionum intellectui occurrentium consideratione procedi debet, quo ante omnia requiritur generale aliquod criterium, ad cuius amissim notiones veræ a fīctis, certae ab ambiguis discerni queant.

XXVIII. Istud criterium non est aliud, quam *evidētia*, seu, quod eodem recidit, *clara ac distincta rei perceptio*, ultra quam in humanis progressus non datur.

XXIX. Ut autem ad hanc amissim omnes rerum *species*, omnia *axiomata* ac *ratio[n]cinia*

tiocinia examinentur, quod per humani ingenii imbecillitatem ac depravationem est difficilissimum, primo loco *p̄ejudiciis* quibuscumque animus est liberandus, & de quavis re, quam non ex evidenteribus rationibus, sed ex *p̄econceptis* opinionibus percepimus, tamdiu *judicium suspendendum*, donec animus intime per rationum evidentiā ad assensum veritati dandum inducatur; qua in re *dubitatio Cartesii* rite intellecta consistit.

XXX. Ne tamen judicium in suspensō diu maneat, & debita *diligentia*, & justa *methodus*, per quam ad tantam *evidentiā* pertingitur, ut in ea plene animus noster acquiescere possit, adhiberi debet: qualis est illa, quae a *primis* ac *per se notis principiis* inchoat, atque inde per *legitimam consequiam* id solum elicit, quod in illis manifesto continetur, reliqua vero in medio relinquit.

XXXI. Ex dupli fonte hæc principia Philosophi eruunt, quibusdam *Ideas*, aliis *Experientiam* consulentibus, singulis suam methodum præ altera impense commendantibus.

XXXII. Nobis immerito hæc *duæ veris* *caturigines* evidentur disjungi aut opponi, cum utræque sapienter ab Authore veritatis

10 PRÆCOGNOSCENDA.

tis conjunctæ fuerint, ut *duobus testibus* in veritatis probatione amice conspirantibus eo major inde exsurgat evidentia ac certitudo. Id quod eo magis apparet, quia revera hi fontes ita sunt compositi, ut se invicem illustrent, unusque alterius defectum suppleat.

XXXIII. Immerito sane *idealis Philosophia* rejicitur, quia *Idearum innatarum veritas* abunde per ipsam *Experientiam* est comprobata, & quia nisi illa *Philosophiae experimentali* manum porrigeret, hæc ultra quasdam corporum qualitates definendas non progredetur.

XXXIV. Dupli autem via procedunt, qui ex his fontibus veritatem hauriunt. Altera est *Analytica*, altera *Synthetica*. Posterior per præmissas *definitiones & axioma-ta* fundamenta demonstrationis jicit. Prior facilitior semita, naturalem rerum, uti se menti offerunt, ordinem sequens, ab iis, quæ per se sunt clara, ad obscuriora pergit. *Synthesis* magis accommodata est ad refellendum adversarios, invitisque assensum veritatis extorquendum; sed *Analysis* ad claram veritatum in naturali suo nexu perceptionem excitandam, adeoque ad docendum multo est explanatior.

AD-

ADMINICULA.

XXXV. Qui igitur in Theologiae Naturalis adyta penetrare vult, ille, *posthabita* omni *authoritate humana*, plus quam in aliis disciplinis, ad intimum *Rationis Magisterium* se totum merito componet. Nec tamen contemnenda sunt *adminicula*, quæ aliunde hauriri queunt, ad Rationis dictamen eo accuratius excutiendum & eo clarius percipiendum.

XXXVI. Ipsa sacra Scriptura varia passim hujus doctrinæ semina exhibet, quæ occurunt in Jobo, in libris Salomonis, tam Proverbiorum, quam Ecclesiastis, nec non in ipsis N. T. scriptis, & præcipue Paulinis ad gentes contestationibus. Ut jam non commemorem, quomodo sublimiora etiam Revelationis dogmata ita comparata sint, ut novis quasi experimentis, id quod Ratio feliciter detexerat, confirmant atque illustrent. Unde non mirum est Rationis usum apud illos prævalere, qui adhibito Revelationis microscopio, ipsa veritatis innata menti semina clarius animadvertisunt.

XXXVII. Sed & juvabit in medium adhibere multa *veterum Philosophorum*,
præci-

præcipue Pythagoreorum ac Platonicorum, quamvis sæpe numero aliud agentium, ratiocinia. Addantur Patres primitivæ Ecclesiæ, qui Religionis Christianæ Apologias conscribentes Philosophos gentium ex admissis ab iis principiis oppugnarunt. Recentioribus demum temporibus Theologia Naturalis scientiæ peculiaris formam accepit, & in sistema certum redactum est, præcipue posteaquam a Scholastico pulvere *Metaphysica* magis fuit repurgata.



THE O-

THEOLOGIÆ
NATURALIS
PARS PRIOR
DE COGNITIONE DEI.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA DEI.

XXXVIII. Per Deum, de quo inquirimus, intelligimus Ens tanta perfectione pollens, ut nostra rerumque omnium Caussa, adeoque & Finis esse queat, id est, Ens summe perfectum.

XXXIX. Tale Ens existere inter primas ac communes notiones aut axiomata nequit reputari, quia haec veritas alias tanta polleret evidentia, ut nullam probationem requireret.

XL. Quare demonstrationem a priori, quam vocant, & qua multi utuntur, tanquam minus commodam, suo loco relinquimus.

XLI. Ut autem demonstratio a posteriori rite procedat, primo fontes, unde illa petitur,

titur, excutiendi, & deinceps ea per legitimam consequentiam inde haurienda erit.

XLII. Hi fontes non possunt esse alii, quam *existentia rerum talium*, a quibus tanquam ab effectis ad caussam adscensus datur. Nam si nihil existere deprehenderem, nihil in promtu esset, unde existentia Dei probari posset. Perpendendum ergo, *an aliquid existere certum sit, & quale illud sit, quod existit, atque inde probatio Existentiae Dei elicienda erit.*

DE EXISTENTIA RERUM.

XLIII. *De Existentia rerum inquirenti mihi ante omnia mei ipsius existentia occurrit.*

XLIV. Primum omnium, per quod de mei existentia certior fio, est, quod comprehendendam me *cogitare*. Cum autem Cogitatio involvat Existentiam, quia reapse *cogitare nihil aliud est, quam agere cum conscientia*, omnisque conscientia existentiam supponit, per se liquet, hoc tanquam primum scibile mihi obversari, quod *cogitando sim*.

XLV. Sed & eodem momento mihi liquet, quod *essentia mea*, aut saltem pars ejus cogitans, quæ mens dicitur, in *Cognitione consistat.*

XLVI.

XLVI. Quin hac Cogitatione totam mentis meæ *naturam* absolví inde conficio, quia & nihil aliud, quam cogitationem, in ea reperio, & nullum esse tempus, quo a cogitatione cesseret. Accedit, quod nihil aliud ostendi possit, quod mentis essentiam constituat, præter cogitationem; unde conficitur, aut plane essentiam mentis ignorari, quod implicat, aut mentem esse puram putam cogitationem.

XLVII. Varias porro in me cogitationum deprehendo formas seu *modos*, quos ad duo genera referre queo, quia in aliis mere *passive*, in aliis autem & *active* me habeo. Illæ sub notione *intellectus*, hæ *voluntatis* comprehenduntur, quæ duæ primariæ ejus *facultates* sunt.

XLVIII. *Intellectus* est illa mentis *facultas*, qua res varias varie pro objectorum varietate per earum ideas a rebus ipsis diversas & in ipsa mente præsentes sibi ita repræsentat, ut repræsentationis illius *sibi intime* *conscius* sit, quæ repræsentatio diversimode aut per *puram intelligentiam* aut per *sensum* aut per *imaginationem* aut per *reminiscientiam* instituitur.

XLIV. *Voluntas* est illa mentis *facultas*, qua se libere determinat ad agendum. Ubi tum ipsa *determinatio*, tum *modus* ejus considerandus.

L.

16 DE EXISTENTIA DEI.

L. *Determinatio* Voluntatis pro variis objectis diversimode se habet. Involvit enim tum *Judicium*, tum actualem secundum illud judicium *Inclinationem*.

LI. *Judicium* versatur circa notionum simplicium compositionem, & collationem, ut inde eliciat, quid verum aut falsum, quid bonum aut malum sit. Est illud aut *imperfectum*, quando nexus notionum non satis perspecto *suspenditur*, aut *perfectum* per actualem *affirmationem* vel *negationem*; eaque iterum est aut *simplex*, per meras *propositiones*, aut composita per *conclusiones* vi ratiocinandi inde deductas.

LII. *Inclinatio* seu *Propensio* Voluntatis sequitur judicium, id, quod *verum bonumque* agnovit, approbando, eligendo, appetendo & se cum eo uniendo; id autem, quod sub *falsi malique* specie obversatur, improbando, rejiciendo, aversando, seque ab eo pro virili segregando.

LIII. Ad Voluntatem pertinent *Affectus*, qui nihil aliud sunt, quam vehementiores ejus impulsiones, ortae ex objecti novitate & magnitudine.

LIV. Hi præcipue tres sunt *Admiratio*, *Amor* & *Odium*. Primus Affectus adhæret *Judicio* de re, cuius rationem & magnitudinem omnem perspectam non habemus:

mus : secundus & tertius inclinationi *Voluntatis*, quæ quando circa *bonum* occupata est, *amorem*, quando circa *malum*, *odium* producit.

LV. Cum autem bonum malumque illud obversetur, vel ut *præsens*, vel ut *futurum*, ex illo nascuntur *Lætitia* & *Tristitia*, ex hoc *Desiderium* & *Fuga*, *Spes* & *Merus*.

LVI. Ex his Affectibus simplicibus alii compositi nascuntur, quales sunt, *Zelus*, *Æmulatio*, *Ira*, *pudor* & similes.

LVII. Circa specialiores quosdam actus minor majorve in voluntate pro re nata occurrit *dispositio*, quæ ubi cum facilitate est conjuncta, *Habitus*, iique vel *infusi*, vel *acquisiti* occurunt.

LVIII. Modus, quo Voluntas se determinat, dicitur *Libertas*, quæ ita ei est propria, ut sine illa ne agere quidem possit, adeoque pro attributo maxime essentiali *Voluntatis* est habenda, quod omnibus ejus modificationibus semper inest.

LIX. Cum autem omnis Libertas sit aut *indifferentia*, aut *spontaneitatis*, posterior maxime Voluntati humanæ est propria, & in eo consistit, ut Voluntas *cum lubentia* se inclinet secundum id, quod intercedente judicio verum aut falsum, bonum

B

aut

18 DE EXISTENTIA DEI.

aut malum esse deprehendit.

LX. Talis *Libertas* facile potest conciliari cum vinculo indissolubili inter Intellectum & Voluntatem, per quod hæc ab illo dependet.

LXI. Porro Mens in seipsum defixa animadvertisit sibi adhærere *Corpus* materiale & organicum, cuius essentia in *Extensione* consistit.

LXII. Id *Corpus*, utcunque plane a se diversum suum tamen esse perdiscit propter *unionem*, quam sibi cum eo intercedere deprehendit *reciprocam*, dum ad imperium Voluntatis moveri membra, variose motus Corpori impressos a Mente percipi, variasque in ea *Affectiones* & *Passiones* excitare deprehendit.

LXIII. Unionis hujus illa est natura, ut non sit *immediata* aut *essentialis*. Illa enim si esset, tum aut Mens & Corpus res essent sibi similes, aut saltem ad naturam Mentis pertineret, *operari in Corpus*, & ad naturam Corporis, *afficere Mentem*; quorum neutrum locum habet.

LXIV. Aliud ergo intercedere debet *vinculum*, per quod affectiones Corporis a Mente animadvertisuntur & imperium Mentis in Corpus transit. Hoc vinculum licet hactenus ignoret, adesse tamen per intimam



timam conscientiam animadvertis.

LXV. Sed & certos huic *unioni limites* esse fixos deprehendit, dum varios Corporis motus neque in potestate Mentis esse, neque ab ea nisi per ratiocinationem & effecta percipi animadvertis. Unde quidam ansam ceperunt de tertia quadam sui parte cogitandi, quam *Animam* a Mente distinctam dicunt, quæ ad omnes Corporis motus velut attendat, eosque dirigat, prout corporis conservationi conductit. Alii tamen id rejiciunt, nolentes entia præter necessitatem multiplicari.

LXVI. Meditantibus *Sensuum* in Corpore *organis* res quoque alias separatas a meo Corpore existere animadverto. Neque ulla mihi suppetit caussa, cur *Sensuum ministerium*, per quod in illarum cognitionem adducor, in dubium vocem. Cum enim eodem modo sensus ab iisdem objectis constanter affici experiar, hinc nihil aliud colligere possum, quam Authorem naturæ meæ eum in finem Sensuum mihi dedisse usum, ut iis meditantibus de rerum extra me positarum præsentia edocear.

LXVII. Unde sequitur, quod quicquid per *Sensus* rite *adhibitos* extra me invenio, id æque certo existere ac me ipsum, atque ita esse compositum, uti *Sensibus* se re-

B 2 præ-

20 DE EXISTENTIA DEI.

præsentat, aut per nudam perceptionem aut per legitimam *ratiocinationem*, absque errandi periculo statuam.

LXVIII. Hac via non solum in plurimis *Corpora* extra me incido, sed etiam eorum varietatem, considerans eorum variam figuram, situm atque ordinem, animadverto.

LXIX. Et cum quosdam in quibusdam effectus occurrere sentiam, qui *Materiæ rationem* exsuperant, illa similem in modum ac meum Corpus a *Mente* quoddam *rationali* habitari dubitare nequeo. Certus ergo sum, non solum alia Corpora, sed alias etiam *Mentes* a mea non dissimiles existare, id est, cum *Corpore unitas*. An vero præter eas etiam dentur, quæ nullum materiæ indumentum habent, *materiæ Mentes*, id, licet cur negem, nullas rationes habeam, haec tenus tamen in medio relinquo.

LXX. Ex harum rerum inductione conficio, duo esse rerum existentium genera, inter se diversissima, res nempe *cogitantes & extensas*, extra quas nullius alterius rei aut *experimentum* habeo, aut *ideam* in me invenio.

Res



RES EXISTENTES CAUSSAM
REQUIRERE.

LXXI. Quascunque Res hucusque contemplati sumus, eas ita esse compositas, ut Caussam extra se requirant, ex earum *imperfectione* evidens est. Quicquid enim imperfectum est, non est necessario, adeoque initium existendi habet & sui Caussa esse nequit.

LXXII. Vestigia hujus *imperfectionis* Mens mea in sinu suo per intimam conscientiam deprehendit. Cum enim ad potentiam seipsum producendi requiratur, tum ut ejus potentiae habeat conscientiam, tum ut semper fuerit, tum ut insita sibi vi subsistere pergit, tum *ut sibi sufficiat*, tum ut facultatem quoque habeat aliud quid extra se producendi, tum denique, ut secundum omne id, quod sibi debet, *independens* sit, nihil horum ulla juris specie sibi tribuere Mens nostra potest, sed contrarias *imperfectiones* & præcipue omnimodam *dependentiam* saepe, non sine molestia, sentit.

LXXIII. *Dependentiam* suam speciatim animadvertisit *Intellectus* in eo, quod *passive* se habeat, quia operatio ejus determinata

est ad Ideas, quas non format pro lubitu, sed invenit, sive materiam earum, sive formam consideret. Sed ne rationem quidem convenientiae inter ideas & res, quas repræsentant, ullam concipere potest.

LXXIV. Nec minus *Voluntas*, facultas illa maxime *activa* ac *libera*, se dependentem deprehendit, tum quia ab Intelle^ctu ducitur, tum quia ad res extra se tendit, ut per eas perficiatur, tum quia in illas res nihil potest, sed varia ab illis contra suam inclinationem patitur. Cujus rei exemplum invenit in proxime adjacentे siibi *Corporē*, quod neque concinnavit, neque pro lubitu dirigere, neque conservare potest.

LXXV. Multo minus ratio *Corporis* permittit, ut id sui ipsius Caussa sit, cum longe majoribus, quam Mens, imperfectionibus laboreat, & ne quidem *agere*, nedum seipsum, aut alias res extra se producere valeat.

LXXVI. Et cum similium similis sit ratio, facile ex propria imperfectione inferimus, quod aliarū Rerum, quas cognoscimus, eadem sit paupertas, cum eas aut simili nobiscum aut multo majori imperfectione laborare experientia abunde edoceat.

CAUS-

CAUSSA RERUM EXISTENTIUM
NON EST PRÆTER ENS
PERFECTISSIMUM.

LXXVII. Caussam meæ aliarumque rerum existentiae *exterius* quærens mox deprehendo, hunc honorem nisi in *Ens perfectissimum* non cadere. Ad sistendum enim aliquid, quod non fuit, *infinita* requiritur *potentia*, quæ reliqua omnium attributa divina jam involvit.

LXXVIII. Porro si aliquid est, tum aliquid est, quod *necessariam* habet *Existentiam*. Si enim nihil esset *necessario*, tum nihil esse posset. Jam vero necessitas existendi *Aseitatem*, illa autem omnia reliqua attributa divina iterum involvit.

LXXIX. Ita *Existentia* Rerum generatim spectata jam indubitate demonstrat, *Deum esse*. Si autem singulæ expenduntur, tum nihil plane neque in *Microcosmo*, neque in *Macrocosmo*, quoconque te veritas, occurrit, quod non evidentissima præ se ferat perfectissimæ Caussæ indicia.

LXXX. Incipiendo a *Microcosmo* seu meipso non possum acquiescere in hypothesi eorum, qui cum *Aristotele* per solam *generationis* legem in infinitum protensam

B 4 homines

24 DE EXISTENTIA DEI.

homines in præsentia existere crepant, cum sic infinita effœta sine Causa, infinitum majus ac minus, aliaque absurdissima admittenda essent.

LXXXI. Nihil etiam præsidii invenio apud illos, qui originem hominum primam sive cum *Astrologis* ex *influxu stellarum*, nescio quem *Limum* imprægnantium, derivant, sive cum *Stoicis* ex *fato* ac immutabilibus materiæ motusque mechanici legibus, sive cum *Epicureis* ex *casu*, id est fortuito *Atomorum* concursu repetunt, quæ omnia ne formando quidem Corpori, multo minus Menti in eo producendæ, sufficiunt.

LXXXII. Quare aut nullam habeo Causam, quod admitti nequit, aut talem, quæ omnes universi vires infinitis parasangis exsuperat, quod adhuc evidentius patet, quando singulæ partes & facultates sub censum vocantur.

LXXXIII. Cum nihil inter res finitas Mente sit excellentius, nihilque ad ferenda *Deitatis vestigia* aptius, non ita sicco pede est prætereunda, uti plurimi faciunt, qui vix aliud præter *Existentiam*, quam cum *Corporibus* communem habent, ad inveniendum in illa Deum, commemorant.

LXXXIV. Si Mensem, ejusque facultates,



DE EXISTENTIA DEI. 25

tates, in genere consideramus, impossibile est, ut eas alia Caussa produixerit, quam quæ eminentissimo modo eas in se possidet, quod nisi de Mente perfectissima dici nequit.

LXXXV. In Intellectu speciatim occurrentes *Ideæ*, sive eas a natura inditas, sive ex incidentibus occasionibus prognatas statuas, quod nobis hic perinde esse potest, licet prius §. 21. jam assertum sit, cum utrumque sine intercedente divina virtute nequeat fieri, præsentem Deum singulæ atque universæ ingeminant.

LXXXVI. Inter illas majestate præcipua fulget ipsa *Dei Idea*, sive *positivus* quidam, adeoque *clarus & distinctus*, de Ente summe perfecto *conceptus*, quem sive innatum, sive *acquisitum* statuas, adesse faltem cum ratione negari nequit.

LXXXVII. Hæc *Idea*, cum non sit ipse Deus, sed ejus tantum *repræsentatio*, necessario requirit *Caussam*, eamque non tantum *Efficientem*, quatenus est quidam cogitandi modus, sed etiam *Exemplarem*, quatenus habet rei a mente mea diversæ effigiem. Utrumque extra Deum ostendi nequit.

LXXXVIII. Caussa *Efficiens* hujus *Ideæ* præter Deum, neque *in me*, neque

B 5 extra

26 DE EXISTENTIA DEI.

extra me ostendi potest. Non est *in me*, quia si Ideæ hujus author essem, nonnisi per ratiocinationem eam producerem. Jam vero nulla ratiocinationis via, sive per modum *eminentiæ*, sive per modum *compositionis*, qui etiam dici potest *fictionis*, aut *causalitatis*, aut *negationis* ad eam producendam sufficit.

LXXXIX. Nihil hic valet via *prima*, quia *ascendendo* a minori perfectione ad maiorem jam suppono, me *majoris* perfectionis *habere ideam*, & *exemplar mihi obversari*, secundum quod judicare possum, quænam sit minor majorve perfectione, Nec *secunda*, quia variarum rerum minus perfectarum in unam quasi Ideam *conjunctione*, summæ Perfectionis idea effici nequit. Non *tertia*, quia nulla res *rei* toto cœlo diversæ imaginem potest exhibere. Non *quarta*, quia ad removendum, quicquid cum imperfectione conjunctum est, iterum Idea summæ Perfectionis requiritur, quæ norma sit, ad quam exigatur, quid finitum sit & cum summa perfectione pugnet.

XC. Sed nec *extra me* a *parentibus* aut *præceptoribus* potui illam accipere. Recurrit enim quæstio, unde illi acceperint? Et præterea non aliter quam per signa externa

DE EXISTENTIA DEI. 27

terna visui & auditui oblata illam comunicassent, quæ ad talem Ideam Entis spiritualis suscitandam nullam aptitudinem habent.

XCI. Ad Caussam *Exemplarem* porro requiritur, ut illa tantam Perfectionem, quanta per hanc imaginem repræsentatur, non *eminenter*, sed *formaliter* contineat, quod neque in me, neque in aliis creaturis, sive singulis, sive junctim consideratis, adeoque nonnisi in *Ente summe perfecto* reperitur.

XCII. Ad *Judicium* cum *Intellectu* coniunctum pertinet *Conscientia*, quæ in sensu strictiori comprehendit, tum *Legem* in Axiomatibus moralibus fundatam, tum *Judicium* secundum illam Legem, eadem infallibilitate gaudens, quam rationis lumini in genere considerato, cujus hæc *Conscientia* pars est, §. 24. vindicavimus.

XCIII. Jam vero neque ipse mihi hanc Legem fixi, cum eam *invenerim*, exemplar ejus in me ipso non deprehendam, nihilque in ea *mutare* queam; neque *Tribunal* mihi met ipsi secundum illam legem erexi, cum meipsum absque maxima ratione his vinculis non constrinxisse, nihilque a me sperandum aut timendum habeam.

XCIV. Neque ab aliis *Parentibus*, *Preceptoribus*



28 DE EXISTENTIA DEI.

ceptoribus aut *Magistratibus* mihi jugum
hoc impositum est. Eorum non est *Lex*,
quia circa principia moralia non plus juris,
quam ego, habent. Eorum non est *Tribunal*,
quod longe latius patet, quod ipsi
formidare debent, & per quod ipse de eo-
rum præceptis judicium formandi faculta-
tem & potestatem habeo. Quare iterum
adscendendum ad *Ens summe perfectum*,
quod rerum omnium prima Causa & ultim-
us Finis est, quod per *Sapientiam* suam
Leges naturæ meæ aliarumque rerum con-
venientes condere & per *Potentiam* suam
Mentes liberas earum jugo subdere po-
tuit.

XCV. Istud mirari subit, cur, qui hoc
argumentum admittunt, præcedens ab *I-
dea Dei* petitum, rejiciant, cum, hac sub-
lata, nulla veritas moralis cordi insculpta
esse queat.

XCVI. Præterea *Voluntas* mea ita est
composita, ut in *bonum* aliquod *summum*
extra me feratur, quod neque in me, ne-
que in aliis rebus finitis extra me reperio.
Hanc Voluntatis propensionem autem ne-
mo potuit indere, nisi talis, in quo illa
terminari & acquiescere potest, adeoque
omnisufficientia sua, quicquid finitum est,
exsuperat.

XCVII.

DE EXISTENTIA DEI. 29

XCVII. Cum eadem Voluntas *Liber-*
tate polleat, corruunt omnia systemata, a
jato ac *necessitate* rerum existentiam deri-
vantia. Illius enim origo nequit esse, nisi
Ens liberrimum, summum Libertatis omnis
exemplar, quodque Libertatem Mentis fi-
nitæ certis limitibus circumscribendi ac
moderandi facultatem habet.

XCVIII. *Corporis* mei *structuram* in se
spectatam ubi penitus intueor, mox de-
prehendo admirabilem in omnibus ejus
partibus tam *externis*, quam *internis* Sa-
cientiam.

XCIX. Quoad partes *externas* in con-
cina *statura*, singulorumque membrorum
situ & *proportione*; quoad *internas* in *solu-*
darum æque ac *fluidarum* partium *situ*, in
musculorum, *osseum*, *venarum*, *arteriarum*,
nervorum *textura*, in *sanguinis* *circulatio-*
ne, in *spirituum* *animalium* *motu* *stupen-*
dum *plane* *artificium*, in quo nihil super-
vacaneum, nihil, quod non certum usum
atque finem habeat, occurrit.

C. Tam splendidæ *structuræ* non sum
ipse *mibi* *faber*. Mens mea ejus operis est
nescia, sœpe a Corpore petitur, neque ab-
solutum in id dominium, sed certis tantum
adstrictum legibus possidet. Multo minus
Corpus *te ipsum* ita disponere potuit, cum

ne

30 DE EXISTENTIA DEI.

ne sui quidem cognitionem habeat.

C I. Parentes quoque se ad Corpus meum non aliter habuerunt, quam qui *agrum conserunt*, nihilque ad fructuum proveni-
tum, quam *occasione* præbent. Et sic quoque redeundum ad hominem aliquem
primum, qui Corpus suum a Caussa prima
accipere debuit.

C II. *Vinculum* inter Mentem & Cor-
pus, cum non sit *necessarium*, quod mors
probat, Caussam requirit.

C III. Illam Caussam frustra quærimus
in nobis ipsis. *Confœderatio* naturæ Corporis
& limitatæ alterutrius partis in alteram po-
tentia repugnat. *Conspiratio* Spinosæ ni-
hil est nisi confusio Mentis & Corporis in
unam massam *Vetriculum*, quod Platoni-
ci animæ tribuunt, merum est figmen-
tum.

C IV. Sed neque *parentibus* origo hujus
vinculi tribui potest. Si enim ad primum
iterum provehimur hominem, ille saltem
eius author esse nequivit. Præterea hæc
unio parentibus non solum *nesciis*, sed
etiam *sæpen numero invitit* contingit.

C V. Redeundum ergo ad Caussam pri-
mam, præcipue cum vinculum hoc ita se
habeat, ut Caussam & liberrimam & sa-
pientissimam & potentissimam requirat.

C VI.

CVI. Nec tantum Corpus nostrum cum Mente nostra intime conjunctum est, sed etiam stupendam habet per usum *Sensuum* cum aliis Corporibus communicacionem, cuius ratio cum neque in ipsis *Corporibus* tam alienis, quam proprio, neque in *Mente* ulla occurrat, hoc quoque vinculum a Causa potentissima ac sapientissima derivandum erit.

CVII. Ad *Macrocosmum* porro seu *Universum* hoc transeuntes, istudque primo in *complexo* examinantes, per singula ejus attributa generalia de Existentia Numinis convincimur.

CVIII. Essentiale ejus attributum est *Materia*, seu *Extensio*, ad cuius Ideam cum non pertineat *Idea Existentiæ necessariæ*, necessario requiritur Causa, quæ voluit, ut esset, quæque cum sit, facit, ut esse pergit.

CIX. Extensio hæc certo *situ* ac *figura* gaudet, quæ merum est *accidens*, adeoque non æterna, id quod confirmat *populorum consensus*, *Annalium recens memoria*, *scientiarum novitas*; & nihilominus non solum existit, sed etiam constanter conservatur. Est ergo Deus, cui in materiam universam absolutum imperium competit.

CX. Præter figuram in *Materia Motus* adest,

32 DE EXISTENTIA DEI.

adest, illeque secundum certas Leges fixus atque constans. Cum autem hic Motus Corporibus naturalis non sit, neque ex eorum determinatione oriatur, quia principium activum requirit, Deum esse concludimus, qui hac quoque ratione Dominium suum summum in omnes res, qua mundus patet, extensem afferere voluit.

CXI. Descendendo ad singulas hujus Universi partes, in earum tum immensurabili amplitudine, tum inenarrabili varietate stipes sit, oportet, qui caussam potentissimam agnoscere recusat.

CXII. Quod si addatur earundem partium ad se invicem *relatio*, *finisque*, ad quem singulæ sunt dispositæ, in eo ordine non solum omnipotentiam omnia, singula, maxima, minima penetrantem, sed etiam divinam sapientiam ac libertatem merito veneramur. Neque enim vel Atheus negare audebit, quod propter *Finem est*, id non esse propter se, adeoque non esse necessarium, & ab alio potentiori libere ad illum finem esse ordinatum.

CXIII. Singulas partes separatim si intueri, atque Deitatis radios in iis ostendere volemus, quis finis erit? Exempli tantum caussa *illustriora* quædam naturæ, in qua innumerabilibus formis Opificis digitus lusit,

lusit, *phænomena* sub censum vocare opus erit. Talia sunt verbi caussa, mirifica *partium* in singulis individuis *structura*, *meteororum*, *tonitruum*, *pluviae*, *ventorum* origo, *simulacra cognitionis*, *solertiae* & *astutiae* in *brutis*, *vegetatio plantarum*, quin etiam *saxorum* & *mineralium*, *Oceani* in terminos suos *coactio*, *fluxus* & *refluxus* maris, *vis magnetis* & similia mille alia, quæ *historiae naturalis* contemplatio subministrat.

CXIV. Superpondii loco addi possunt argumenta *historica*, petita ab operationibus divinis, quas in mundo contigisse ex certa annalium fide constat. Hæ sunt aut ordinariæ aut extraordinariæ.

CXV. Ad extraordinarias operationes referimus *prædictiones* futurorum contingentium, & *miracula*, quæ, qui admittit, Deum admittere debet.

CXVI. Ordinariæ minori contradictioni sunt obnoxiae, quo pertinent maxime Regnorum rerumque humanarum *vicissitudines*, nec non illustriora *Judiciorum exempla*, & quicquid Providentiam aliquam esse evincere potest. Si enim *Providentia est, Deus est.*

CXVII. Vis argumentorum, quæ recensuimus, tanta est, ut totum genus *humano* in veritatem hanc consentiat. Dari

C enim

34 DE EXISTENTIA DEI.

enim populos omni Numinis cognitione destitutos hactenus probari nequit. Et etiamsi essent, injuria tamen iis fieret, si athei dicerentur, qui licet ad hanc veritatem ex stupore ferino non attendant, nunquam tamen in animum induxerunt, ut eam negent.

CXVIII. Et quomodo integræ nationes essent atheæ, cum de ipsis illis paucioribus naturæ abortibus, professis *Theomachis*, dubitare liceat, *an sint veri nominis Athœi?* Licet enim impudenti satis ore asserere ausint, se fidem existentiæ divinæ penitus exuisse; unde sciri potest, quod verum dicant?

RESPONSIO AD ARGUMENTA
ATHEORUM.

CXIX. Certum interea est, quod dari possint Athœi? quibus ad tempus per singulare Dei judicium *omnis Deitatis sensus concupiscentiarum pravarum cœno quasi immersus ac sepultus* est. Et negari nequit, si secundum externam oris professionem judicium formetur, quod exstiterint omni ævo quidam Athœi Theoretici, iisque non solum *indirecte* talia urgentes dogmata, quæ omnem Deitatis conceputum

tum pervertunt, sed etiam *direkte rotundisque verbis afferentes, non esse Deum.*

CXX. Neque tamen temere cuiquam hoc crimen imputandum est, cum experientia doceat, multos qui popularibus erroribus contradixerunt, Atheorum incurrisse crimen; quamvis & ab altera parte vel ex *Spinozæ* exemplo certum sit, multos *oretenus profiteri Deum*, ne communio odio se exponant, licet in suo Universo, quod singunt, *systemate omnem Entis summe perfecti ideam exulare plane jubeant, adeoque reapse Deum obnagent.*

CXXI. Quomodo tales a *toto universo* condemnentur, ex adductis rationibus patet, quibus obniti velle eo major *vesania* est, quia etiamsi argumentorum pondere se victoriā reportaturos esse, serio sibi Athēi persuadere possent, nihil tamen inde lucri ipsis accessūrum sit, cum, si caussa cadant, maximum damnum evitare nequeant, non solum justo Dei judicio olim perituri, sed etiam in hac vita seipso in mera *bruta automata* transmutantes, Deumque tollendo omnia virtutis fundamenta, adeoque publicæ quietis ac securitatis fulera concutientes. Et quid stultius, quam alios de pestifero errore persuadere velle, postea quam principia omnia sublata sunt, ex

36 DE EXISTENTIA DEI.

quibus homo hominem rationaliter convincere potest? Quid *vesanius*, quam rem in dubium vocare velle, quam tamen, ut credatur, e re Societatis esse, ipsi aliquando fateri debent? Quid *immanius*, quam tanto nisu pugnare contra rem, quæ etiansi vera non esset, maxime tamen esset optimabilis, adeoque genus humanum melioremque ejus partem, maxima consolatione ex *mera petulantia* privare? Quid denique *dementius*, quam tam universale & commune commodum secum ferentem generis humani πρόληψιν tam stramineis ratiunculis oppugnare velle?

CXXII. Talis verbi gratia est illa, quod *nullam nos Dei habere Ideam* venditent, quem in finem provocant eo, quod nullam habeamus ullius rei, nisi *corporeæ ideam*, per *sensus* nempe acquisitam. Intima autem experientia contrarium unumquemque in se ipsum descendenter facile docebit, cum tot abstractas rerum metaphysicarum ac moralium ideas mens in sinu suo gerat, ad quas excitandas nihil per sensus afferri potuit.

CXXIII. Addunt, quod confitentes, esse Deum, *essentiam ei incomprehensibilem & infinitam* tribuant, inde autem sequi, quod nullum Dei conceptum habeamus, adeoque

que Deum etiam non esse, quia *cujuscunque nullam habemus ideam, illud est non ens.* Sed merus hic est lusus in terminis, cum Ideam Dei defendantes, per *incomprehensibilitatem atque infinitatem* Dei nihil ad summum censeri debeamus intelligere, quam *adæquatam Entis summe perfecti Ideam modulum*, uti *creaturæ*, ita nostrum quoque excedere.

CXXIV. Perfluit etiam facillime, quando objiciunt, *Deum tollere, qui omniscientiam tollit*; hanc autem ab illis negari, qui fatentur, ante mundi creationem præter Deum nihil extitisse. Sed quidni Deus etiam ante mundum conditum fuisset *omniscius*, cum perspectam plene haberet suam Omnipotentiam, cuius cognitio ideas rerum omnium possibilium involvebat?

CXXV. Porro ad hominem argumentantur, prætendentes Theologiam merum *systema rerum incertarum*, quin *contradictorium* esse. Quasi illi *contradictorium* aliquid esse demonstrare possent, qui omnem *veritatis normam ejurarunt*; aut quasi contradictionis possint convinci res, quæ per *obscuritatem suam inter se conferri*, adeoque competens judicii nostri objectum esse nequeunt.

CXXVI. Dicturi autem rationem, cur tam

tam generalis omnibus hominibus de Ente summe perfecto sedeat *persuasio*, primo ad *pravas* hominum *dispositiones*, partim ex *supersticiose timore*, partim ex *causarum ignorantia* ortas, provocare solent. Utrumque vanitatem & impudentiam hominum horum probat. Quomodo enim *fides Deitatis ex timore* orta esset, cum timor Dei potius sit sequela illius fidei, cumque *Idea Dei* per se spectata nihil *terribile* contineat? Et quomodo *causarum ignorantia* ansam primo dedisset, de Deo cogitandi, cum argumentorum, quæ proposuimus, induc^{tio} indicet, nihil magis directe ad Deum ducere, quam meditationem de rerum causis, ipsumque Atheismum nihil aliud esse, quam crassissimam causarum ignorantiam?

CXXVII. Addunt, *Religionem inventum esse Politicorum* credulitate hominum abutentium, ut illos eo facilius sub jugum cogerent. Mendacissima calumnia! cum inventi hujus *Author* ostendi nequeat, neque possibile fuisset eodem Religionis quasi fascino genus humanum constringere, nisi astutia Politicorum insita hominum animis Religionis semina animadvertisset, atque iis in rem suam abusi fuissent.

CXXVIII. Generale Atheorum περὶ τὸν φεῖδος

Ψεῦδος est, quod sicuti præter materiam nihil concipiunt, ita materiam semper fuisse & ejus essentiam pertinere existentiam necessariam defendant, quod tamen funditus evertitur per ea, quibus causalitatem rerum §. 71. sq. adstruximus, & Cap. IV. porro adstruemus.

CXXIX. Neque fraudi debet esse Existentiæ divinæ certitudini illa prætensiō, quod eosque adscendere nequeat hominum malitia, ut Deum esse negassent, si Idea Dei homini naturalis esset. Nihil enim inde concludi potest, quia abunde constat, & omnem Deitatis sensum ipsis professis Atheis vix periiisse, & ubi ille per singularem quandam excœcationem animi oppressus est, ibi singulare Dei peccatorem sibi relinquentis intercedere judicium. Ipta etiam Atheorum paucitas, & quod statim intellectis eorum argumentis rejecta sit eorum opinio, ostendit, nihil minus, quam Rationem iis favere.

CXXX. Ad protrudenda autem tantæ impietatis dogmata, ut alia caussa requiritur, ita variæ caussæ occasioneles concurrere potuerunt. Tales sunt tum interna ipsa concupiscentia prava, quæ inimicitia est adversus Deum, & sigillatim animi elati ac nescio quam sapientiæ sublimioris glorio-

Iam stulte aucupantis *fastus*, tum *externæ superstitionis*, qua plerorumque, quem Deo ferunt, cultus laborat, absurditas, & præpostera *studiorum tractatio*, præsertim si accedant librorum impiorum improvida lectio, conversatio cum impiis, præceptores profani, & similia.

CXXXI. Has caussas Atheismo eo securius assignamus, quia cum negantes Deum alias rerum caussas nominare necessario debeat, tales nominant, quæ longe majores difficultates habent, quam quas nostro systemati objiciunt, atque absurditate sua undiquaque perpluunt, uti patet ex exemplis §. 80, 81. allatis.

CAPUT II.

DE NATURA DEI.

CXXXII. Si Deus existit, necessaria est ejus cognitio, tum quia nihil magis intellectum nostrum perficit, a cuius perfectione omnium reliquarum facultatum perfectio dependet, tum quia hoc pacto patebit, quomodo eum *digne colere* & in communione ejus *beati esse possimus*.

CXXXIII. Ad cognitionem Dei pertinet,

DE NATURA DEI.

41

tinet, ut sciamus, *Quid & Qualis sit*, adeoque verum de eo conceptum nobis formemus.

CXXXIV. Licet autem *adæquate Deum definire* nequeamus, talis tamen dari potest *definitio*, quæ id saltem, quod nos de Deo assequimur, sub se comprehen-dit.

CXXXV. Secure ergo statuimus, Deum esse *Mentem summe perfectam*.

CXXXVI. In hac definitione *generis* aliquod instar est, quod Deus *Mens* sit, *differentiae autem specificæ*, quod sit *summe perfectus*. Neque tamen eodem, quo hi termini in scholis usurpantur, sensu, hic intelligi debent. Nam per prius nihil nisi *natura Dei* exprimitur, quam secundum nostrum considerandi modum abstrakte ut *substratum* omnium ejus attributorum, cui insunt, spectamus; per posterius ipsum *attributorum complexus* proponitur.

SPIRITUALITAS DEI

CXXXVII. Cum duo tantum cognita nobis sint rerum genera, *Mentes* nempe & *Corpora*, & ad alterutrum Deus rese-rendus sit, Deus necessario statuitur *MENS seu Spiritus esse*.

C 5

CXXXVIII.

42 DE NATURA DEI.

CXXXVIII. Id demonstrari potest , primo *negative* , quia Deus nequit esse *Corpus* , neque *ex parte* , cum partes in Deo locum non habeant ; neque *ex toto* , quia *idea extensionis* non solum non includit ideam perfectionum *Entis summe perfecti* , sed etiam ponit varias imperfectiones , quæ in Deum non cadunt , quales sunt , *sui non esse conscientium* , *passive se habere* , *divisibile* , *mutabile & finitum esse* .

CXXXIX. Sed & *positive* Deum esse *Mentem* , comprobant omnia argumenta pro existentia ejus allata . Illa enim talia sunt , ut evincant , eum esse rerum omnium *Caussam* , quod esse non posset , nisi esset *Ens activum* ; tale autem sola Mens est .

CXL. Adde quod ex eorundem argumentorum recensione pateat , Deum talem esse Caussam , in qua relucet summa *sapientia* , *libertas* , *potentia* , quæ attributa nonnisi in *Mente* locum habent .

CXLI. Neque ulla nominari potest *Perfectio* vere divina , quæ non ad *Mentem* tanquam *substratum* suum referri queat . Cum enim *Mentis* essentia consistat in *Cogitatione* , nullum datur attributum divinum , quod in *Cogitatione perfectissima* non contineatur .

CXLII. Injurii ergo contra Deum sunt ,

sunt, non solum qui naturam Dei *Extensio-*
nem absolvunt, atque ita revera omnem
 Dei conceptum tollunt, sed etiam, qui
 qualemque *extensem & corporeum conce-*
ptui de Deo affrancant.

CXLIII. Impietatis hic præ aliis reus
 est *Spinoza*, per Deum intelligens Ens *ab-*
solute infinitum, hoc est *substantiam unam*
constantem infinitis attributis, quorum nota
 nobis sint *Cogitatio & Extensio*, utraque
fataliter se explicans per infinitos modos,
 qui sunt omnes res particulares *cogitantes &*
existentes, quæ tanquam totitem Dei *mo-*
dificationes singulæ æternam & infinitam
essentiam exprimunt.

CXLIV. Monstrosa hæc Naturæ Dei
 definitio, quot voces, tot absurditates ha-
 bet, utcunque se sub terminorum ambi-
 guorum involucris tegere impius ille quæ-
 rat. Et facile hoc systema evertitur, si
 tantum conferantur, quæ in præcedenti-
 bus jam demonstrata sunt.

CXLV. Ad præcipuas absurditates re-
 ferimus, quod Deum unam esse *substan-*
tiam fateatur, & nihilominus duo attri-
 buta ei tribuat, *cognitionem & extensi-*
nem, quæ requirunt *duas substantias* toto
cælo diversas, quibus insunt, adeoque
 differunt, ut res & res, quæque nullam

nc=

necessariam inter se relationem habent.

CXLVI. Nec minus absone duo attributa infinita ad constituendam unam substantiam conjunguntur. Aut enim illorum attributorum alterum altero est perfectius, quo pacto *infinitum infinito majus esse statuitur*, & aliquid minus perfectum Deo tribuitur; aut si parem habeant perfectionem, neutrius attributi perfectio erit summa, & *infinitum absolutum infinito additum*, necessario majus infinitum constituet, quod iterum implicat.

CXLVII. Et quam impudenter inter attributa illa infinita referatur *Extensio*, ex essentialibus ejus imperfectionibus, quas enarravimus, evidentissimum est.

CXLVIII. Quid autem futilius, quam res particulares omnes constituere in *modificationes Dei*, cum non tantum earum per partes evicta sit imperfectio, in cuius societatem Deus, abnegata ejus perfecta *Scientia, Potentia, Simplicitate, Immutabilitate, Beatitudine*, vocatur, sed etiam nihil sit apertius, quam illas esse a Deo separatas substancias, cuius rei vel maxime mens nostra sibi intime conscientia est?

CXLIX. Denique dum his modificationibus fatalis tribuitur *necessitas*, non solum omnis *Potentia*, sed etiam omnis veri nomi-

nominis *Libertas* tam in *Deo*, quam in *Mentibus finitis*, ac cum ea omnis *Justitiae*, *Veracitatis*, *Bonitatis*, *Sanctitatis*, aliarumque perfectionum moralium conceptus, omnis *Virtus & Vitium*, *Præmium* ac *Pœna* tollitur, mundusque ille, qui tanto conatu erat in Deum evectus, iterum in merum brutum automaton convertitur.

CL. Falsissimæ autem sunt hypotheses, ex quibus prodigiosum hoc systema eruitur, quales sunt, *Deum vi naturæ suæ necessario semper operari perfectissime*, ex necessitate divinæ naturæ infinita infinitis modis sequi: intelligere & velle unum idemque esse: non posse unum existere, qui infinitus & perfectissimus sit, nisi omnem Perfectiōnem & Existentiā formaliter possideat: non posse dari extra Deum plures substantias, quia omnis Substantia necessario est infinita & existit: & ita porro. Quæ omnia, si tantum ambiguitas in terminis tollatur, facile perpluunt.

VITA DEI.

CLI. Si Deus Mens est, tum etiam *Vi-*
ta ei talis competit, qualis ad naturam
Mentis pertinet, Actuositas nempe cum
Con-

Conscientia ex intrinseco principio.

CLII. Memis enim natura ita se habet, ut Idea ejus Ideam *actuositatis* necessario involvat, secus ac cum Corporibus constitutum est.

CLIII. Multo magis id convenit Menti summe perfectae, cum non solum perfectius sit agere, quam torpere, sed etiam omnis perfectio Mentis Vitam supponat.

CLIV. Cum autem ad *Actuositatem* cum *Conscientia* requiratur *Intellectus & Voluntas*, quæ duæ facultates naturam rei cogitantis conficiunt, hinc eadem quoque in Deo locum habent.

CLV. Hæ facultates licet in Deo propter Simplicitatem ejus non sint divisæ. nichilominus certo ordine de singulis hisce facultatibus cogitare possumus & debemus. Unde certo respectu Intellectus Dei potest a nobis concipi, ut fundamentum *Voluntatis*, quando nempe circa seipsum versatur, + alio autem respectu Voluntas concipitur fundamentum esse *Intellectus*, quando scilicet circa res alias occupatur. q. erit
enīcē qā deg vult.

CAPUT



C A P U T III.

D E A T T R I B U T I S D E I
E S S E N T I A L I B U S .

CLVI. **Q**uamvis *Attributa Dei* ab ejus *natura* non differant, & re-apse nihil aliud sint, quam Naturæ divinæ diversimode a nobis spe-ctatæ *speciales definitiones*, dandum tamen id imbecillitati ingenii humani, ut *Attribu-ta illa speciatim* considerando in *Essentiæ divinæ* penitiorem agnitionem penetrare contendat.

CLVII. Hinc factum est, ut Theologi *Attributa*, quæ de Deo prædicantur, ad memoriam juvandam, in certas classes redegerint, quibusdam ea distinguentibus in *affirmativa & negativa*, aliis in *communicabili-a & incommunicabili-a*, aliis in *essentialia & relativa*.

CLVIII. Postrema divisio rei naturæ est maxime accommodata. Et per illam ad *essentialia Attributa* referuntur omnes *Perfectiones*, quæ *Essentiæ Dei* in se con-sideratae insunt, ad *relativa*, quæ relatio-nem habent ad *Res extra Deum* existentes. Utraque *necessario* Deo insunt, sed priora per

per necessitatem absolutam, posteriora per
necessitatem hypotheticam.

in se modi erat *propter* *de* *legi voluntatis* *et*
CLIX. Natūra ergo horum Attributo-
rum postulat, ut priora *ante operationes*
Dei circa res extra Deum consideremus;
posterioribus vero recensionem *operum Dei*
præmittamus.

CLX. Id tantum in hac divisione ob-
servetur, quædam horum Attributorum
ita se habere, ut secundum diversum re-
spectum *essentialia* ac *relativa* simul sint,
unde eorum consideratio in utraque clas-
se redibit, *in priori*, ut indicetur, quo-
modo ad *Essentiam Dei* pertineant, *in po-*
steriori, ut edoceatur, quomodo eadem in
Operibus sint demonstrata.

pot. ope-
one.
CLXI. *Essentialium Dei Attributorum*
quatuor constituimus classes. Ad *primam*
referimus Attributa quædam *Universalia*,
quæ in omnibus sequentibus supponuntur,
ita ut nullum speciale Dei Attributum sit,
de quo *universalia* illa prædicari nequeant:
ad *secundam* Attributa *generaliora*, quæ *E-*
xistentia *Mentis* summe perfectæ in se con-
sideratæ requirit: ad *tertiam* Attributa *spe-*
cialiora singularum *Mentis* perfectissimæ
facultatum: ad *quartam* talia Attributa,
quæ per *consequentiam* ex enumeratorum
attributorum complexu resultant;

CLXII.

CLXII. Per *Attributa universalia*, quæ omnibus præstruimus, talia intelligimus quibus præcavetur, ne quid per ingenii humani imbecillitatem circa singulorum Dei Attributorum enumerationem illis affricetur, quod perfectissimæ ejus naturæ aliquid detrahit. Huc referimus *Perfectiōnem, Infinitatē & Simplicitatē.*

PERFECTIO DEI.

CLXIII. Ante omnia firmiter tenendum, Deum esse *Ens ita summe perfectum*, (venia sit voci, cum Latina lingua aptior rem non habeat,) ut quicquid Idea absolutæ Perfectionis comprehendit, ei sit tribuendum, & quicquid vel *umbram* aliquam *imperfectionis* habet, ab eo separetur. Prius fluit ex Idea Perfectionis *positiva*, posteriorius ex *negativa*.

CLXIV. Quare licet genus, ad quod Deum retulimus, *Mens* sit, quicquid tamen in mente nostra imperfectionis rationem habet, a Deo longissime separamus. Nullus igitur in *perfectissima Mente sensibus*, aut *imaginationi corporeum* quid involventibus, vel *memoriae intellectum* imperfectum ponenti, vel *affectibus* inscitiam ac mutabilitatem annuentibus, vel *habitibus*

D bus

bus ad essentiam mentis aliquid addentibus
locus est.

CLXV. E contrario, quicquid *Mens perfecti* non solum in *natura* sua, sed etiam in *Idea* longe altius proiecta deprehendit, id omne ut *exemplum* considerat, cuius absolutissimum *exemplar* in ipso Deo est.

CLXVI. *Perfectio* hæc Deo competit, tum quia per illam ab omnibus rebus aliis extra se existentibus distinguitur; tum quia id necessario requiritur in eo, qui omnis *Perfectionis* ac realitatis in rebus extra se existentibus *causa* est; tum quia singula *Attributa*, quæ in Deo concipimus, sub *Idea* perfectionum nobis obversantur, & generale, cur ea Deo tribuamus, fundatum est summa Dei *Perfectio*.

INFINITAS DEI.

CLXVII. *Perfectio absoluta* necessario est *infinita*; qui terminus licet sit *negativus*, *positivum* tamen conceptum involvit, quia omnem realitatem, cuius *Ens summe perfectum* capax est, sive cognita sit, sive incognita, involvit. Realiter adeoque *Infinitas Dei* ab ejus *Perfectione* non differt, sed tantum conceptum ejus illustrat.

CLXVIII.

DEI ESSENTIALIBUS. 51

CLXVIII. *Infinitas Dei potest considerari aut absolute aut relative.*

CLXIX. *Absolute designat ipsam summam Perfectionem singulis Attributis Dei non soli durationi aut ubiquitati, inhærentem, atque ab iis inseparabilem. Ratio enim, cur attributa Entium imperfectorum sint finita, est aut defectus in causa ipsa, quæ plura dare nequibat, aut in subjecto, quod majoris perfectionis capax non erat. Utraque ratio in Deo cessat.*

CLXX. *Relative exprimit tantum Perfectionis in Deo pondus, ut adæquate non nisi ab ipso Deo cognosciqueat. Hoc ipsum est, quod alias incomprehensibilitas vel immensitas Dei dicitur, & statim in lignine modeste, verecunde, humiliter de Attributis divinis cogitare monet.*

SIMPLICITAS DEI.

CLXXI. *Cum autem Perfectiones Dei certo ordine, quasi partitum, enumerare suscepimus, ut mens nostra nullam inde titubandi ansam arripiat, ante omnia quoque firmiter tenendum est, Deum esse Ens simplicissimum.*

CLXXII. *Simplicitas Dei vel negative vel positive spectari potest.*

D 2

CLXXIII.



Innotescit. CLXXXIII. Negative a Deo removet qualemcumque compositionem, tam *physicam* vel ex *diversis essentiis*, *extensione & cognitione*, vel ex *partibus realiter distinctis*, vel ex *materia & forma*, + vel ex *subjecto & accidente*; quam *metaphysicam*, ex *Essentia & Existentia*, ex *genere & differentia specifica*, ex *potentia & actu*.

Sed etiam in aliis. CLXXXIV. Positive indicat omnium Perfectionum in Deo non solum *similitudinem unionem*, sic ut nulla deesse possit, sed etiam earundem *unitatem quasi, & identitatem*, quæ nonnisi animi nostri fictione distingui potest.

CLXXXV. Hanc Simplicitatem requirit & natura *summæ Perfectionis*, & *singularum Perfectionum* intuitus, quæ ita se habent, ut una absque altera subsistere nequeat.

CLXXXVI. Secundum hanc Cynosuram in altum divinorum Attributorum veldantibus primo loco occurunt illa, quæ Mens summe perfecta, Vitaque perfectissima gaudens, generatim spectata vi naturæ suæ possidet, quo referenda sunt *Aseitas, Eternitas, Independentia, Immutabilitas*.

Tertii corporis rationis secundum postea;

ASEI

ÆSEITAS DEI.

CLXXVII. *A se esse* dicitur Deus vel *negative*, quatenus aliam existendi Caussam extra se non habet, vel *positive*, quatenus vi perfectissimæ naturæ suæ existit, ad quam necessario pertinet *Existentia*.

CLXXVIII. Deo hæc Perfectio competit, tum quia absque ea non possideret *Vitam perfectissimam*, tum quia in *Causarum subordinatione* non datur progressus in infinitum.

ÆTERNITAS DEI.

CLXXIX. *Æternitas* in Deo designat *intrinsecam existendi necessitatem*, seu ut BOTIUS definit: *interminabilem vitæ simul totam & perfectam possessionem*.

CLXXX. Illam Deo tribuendam esse sequitur tum ex demonstrata ejus Perfectione & Aseitate, tum ex ipsius *Necessitatis conceptu*, quia id *contingens dici nequit*, quod si non existit, a nulla alia Causa produci, adeoque ne esse quidem potest.

CLXXXI. Per conceptum *Necessitatis Existentiæ divinæ* excluditur a Deo existendi omne *initium & finis*.

D 3

CLXXXII.

54 DE ATTRIBUTIS

CLXXXII. Ne autem in *Æternitatis*
Dei conceptu aberretur, illa non debet
considerari tanquam aliquid *a Deo distin-*
ctum, cui ipsa Dei Existentia *commen-*
etur.

CLXXXIII. Excludenda etiam omnis
successiva per momentorum intervalla *du-*
ratio, quia perfectissimæ Vitæ proprium
est, omnem suam perfectionem simul pos-
fidere, & quia successio omnis momento-
rum innumerabilium tam *Infinitati*, quam
Immutabilitati Dei adversaretur.

INDEPENDENTIA DEI.

ad Deum in deo est a ratione dependens. Et a perfecta
ratione velata est. Et hoc (184) velut ad res ipsas pertinet.
Et hoc (185)
CLXXXIV. Ut illam ab *Ascitatem* Dei
distinguamus, per eam intelligimus tale
Attributum Dei, quo non solum Causam,
cur existat, sed etiam *cur existere* pergit,
in Necessitate naturæ suæ possidet, (ita ut
non tantum originem sed etiam conserva-
tionem suam nulli alii extra se debeat.) Un-
de patet, quod etiam recte *Sufficientia* dici
queat: *involvens existatem, unde conservatio*

CLXXXV. Ex *Independentia* *Essentiae*
divinæ oritur *Independentia* ejus quoad sin-
gulas *Operationes*, cum neque *Intellectus*
Dei per res extra se affiliatur, & ad cogi-
tandum de iis permovereatur, neque *Volu-*

ta
hoc nimirum impossibile dicitur, id est quod deus non
men habet, quod conservat; quod ab eo de servitate deus
vita habeat, quod dicitur.

DEI ESSENTIALIBUS.

55

tas per easdem determinetur, quod Voluntas Attributum specialius Libertas Dei soler dici.

CLXXXVI. Cum ex nostra definitio-
ue pateat, quam arête *Independentia Dei*
Aseitati ejus innexa sit, iisdem quoque
fundamentis illa innititur. Qui enim sibi
sufficit ad Existentiam ipsam, ab illo etiam
solo. *Eiusdem sententia* est *ad aliud* *ad aliud*

olo Existencia continua dependet: hinc illa pars
secundum quoniam deo datur et non potest in se esse, ut dicimus de
in auctoritate patrum et locis sacris, ut apostolus scripsit
prophetam: **IMMUTABILITAS DEI**, enim imperfete
est actio humana, et permutabilis, sed deus est immutabilis, et
est secundum suam voluntatem stabens in se et non potest
mutari.

CLXXXVII. Attributum hoc, quatenus Essentiæ divinæ in genere spectata convenit, designat tantam ejus præcelleriam, ut nihil illi accedere, & tantam firmitatem, ut nihil decadere possit, adeo que nihil vel sperandum vel timendum habet.

CLXXXVIII. Hanc Immutabilitatem
Idea summæ Perfectionis involvit, quoniam
illa nullius neque incrementi neque decre-
menti capax est. Sed nec ulla mutationis
caussa sine in Deo, sine extra eum vel fin-
gi potest.

OMNISCIENTIA DEI.

CLXXXIX. Descendendum jam ad
D 4 spe.

specialiora singularum Facultatum Attributa, & quidem primo Intellectus perfectissimi, ad quem præprimis requiritur Omniscientia, quæ involvit, tum ut omnia intelligibilia cognoscantur, tum ut cognitio circa illa perfectissimo modo versetur.

CXC. Objectum ergo scientiæ divinæ sunt omnia intelligibilia, quo pertinet primo, ut Deus se ipsum omnesque luas Perfectiones intime perspectas habeat per Scientiam, quæ dicitur simplicis Intelligentiæ, deinde ut etiam omnia extra se cognoscatur per Scientiam Visionis. Illa Voluntatem antecedit, & hujus loci est; hæc etiam sequens ad attributa relativa pertinet.

CXCI. Seipsum Deus necessario cognoscit, quia ad Ideam Mentis Perfectissimæ pertinet perfectissima sui Conscientia, cum absque ea neque omnipotens esse, neque in se acquiescere possit.

CXII. Ad hanc naturalem Dei Scientiam referendæ sunt Ideæ rerum posibilium, tum quia alias non potest comprehendendi, quomodo Ideæ hæ mentem Dei intraverint & objectum Voluntatis ejus factæ sint; tum quia absque illis Deus omnem suam tam Potentiam quam Infinitatem perspectam non habuisset; tum quia illis sublati nullus Libertati ejus locus relinquitur; tum denique

denique quia nihil potest esse in effectu quod non est in Causa vel formaliter vel faltem eminenter, id est, per Ideam & virtutem producendi, quorum prius cum in Deum non cadat, posterius ei necessario tribuendum est, quod absque Ideis rerum possibilium fieri nequit.

CXCIII. Difficulter hoc admittitur ab illis, quibus videtur hoc pacto statui ali-^{l. g. g.}
quid immutabile & aeternum preter Deum, <sup>+ qd t' ree
sang bas
per deli
ken p'ri</sup>
quod necessarium cognitionis ejus objec-<sup>ma ergo
coctere o
tum bas
ad quin
feminty</sup>
tum sit, id quod Perfectioni divinae plane esset contrarium. Verum scrupulus omnis per id eximitur, quia Idea rerum possibili-
lum nihil aliud est, quam Idea ipsius po-
tentiae divinae.

CXCIV. Ad perfectissimum cognoscen-
di modum pertinet, ut Cognitio sit adaequata,
qua, ut omnia independenter, & ex se cognoscantur, ut uno obtiuu, ut denique simplicissimo perceptionis modo, quæ singula ex Idea perfectissimi intellectus facile derivantur.

CXCV. Cum perfectissimo Intellectu Dei necessario nexu cohæret perfectissima ejus Voluntas, quæ duo a se invicem di-
velli nequeunt, quia Idea unius in Idea alterius necessario involvitur.

CXCVI. Attributa perfectissimam Vo-

D 5. luntatem
Vix mente nostra vobis hanc & percepit hanc partem genitale
ut noli per alios hunc deum hinc possumus, & si doce-
vit in mente nostra, percepit hanc deum hinc multo
hunc abhinc non in culte perfectissimo principio locutus.

luntatem conscientia sunt *Sapientia, San-*
itas, Libertas, Potentia, & quæ simul
 intellectui communis est, *Beatitudo.*

Masce perff. Cl. a. u. ter. jam demonstrat.

SAPIENTIA DEI.

CXCVII. Cum *Sapientia* proxime sit
Attributum Judicii, quod de rebus, ex
 intime perspectis earum caussis, ordine,
 ac fine, deque actionibus ad earum natu-
 ram pertinentibus pronuntiat, hinc illa
 perfectissimo modo *Judicio Voluntatis di-*
 vinæ inesse censenda est.

CXCVIII. Neque tantum ea locum
 habet in Deo circa *actiones ejus ad extra*,
 sed etiam circa *Actuositatem perennem Es-*
sentiæ ejus. Cum enim Deus, etiam abs-
 que respectu ad creaturas, naturaliter *in*
seipso actuosus sit, omnisque *Actuositas per-*
fecta Sapientiam requirat, sapientia natu-
ralis Deo denegari nequit.

CXCIX. Ad illam referimus, quod *deus*
Deus rectum de Perfectionibus suis judi-
cium formet. Atque adeo *justum sibi ipsi*
premium statuat; unde fluit, ut omnia quæ
 agit, *convenienter naturæ suæ agat, quia*
totius Actuositatis suæ sibi ipsi norma &
scopus est.

SAN.



SANCTITAS DEI.

CC. Sapientiae intime innexa est *Sanctitas*, quæ illam perficit, & quando ut essentiale Dei Attributum consideratur, nihil aliud designat, quam intentissimum *Amorem*, quo Deus erga seipsum fertur.

CCI. Objectum igitur hujus Amoris Deus ipse sibi præstat, & quidem ita ut se *solum ac totum amet: solum*, quia nihil Realitatis ac Boni, per quod perfici posset, extra se invenit: *totum*, quia nulla imperfectionis non amabilis in Deo umbra est.

CCII. Actus Amoris divini comprehendit, ut *efficacissime ac constantissime* ab una parte circa seipsum *actuosis* sit, utque sibi vivat, sui caussa operetur; ab altera parte seipsum approbans in seipso delicieatur, ac plene *acquiescat*.

CCIII. Hic Amor Dei naturalis est; non solum, quia ad naturam voluntatis pertinet *amare*, & dignum Amore Dei objectum extra eum non est, sed etiam quia hanc *justitiam* sibi ipsi debet.

CCIV. Cum autem hic *Amor Dei* norma omnium ejus actionum sit, hinc patet, quomodo in eo contineatur fons omnium

LIBERTAS DEI.

CCV. Quando *Libertatem Dei* referimus inter attributa ejus essentialia, facile colligitur, quod *Libertatem Spontaneitatis* intelligamus. Nam *Libertas Indifferentiæ* ei nonnisi relate ad creaturas in certo sensu competit. Circa seipsum enim ulla ratione *indifferens* esse nequit, sed per *Sanctitatem suam*, uti ostendimus, *necessario* se talem esse vult, qualis est.

CCVI. *Spontaneitas Dei* in eo consistit, quod cum lubentia summa circa seipsum sit actuosus, id quod fluit ex ipsa *Amoris natura*, quo Deus in seipsum fertur. Nihil enim magis *spontaneum* est, quam *amare*, præcipue, quando objectum *Amoris* obversatur tanquam amore dignissimum. Adeoque reapse *Libertas Dei* coincidit cum ejus *Sanctitate*.

CCVII. Tali *Libertatis* conceptui non repugnat conceptus *Necessitatis*, quæ in operationibus Dei locum habet, & secundum quam propter nexus necessarium inter perfectissimum Intellectum ac Voluntatem, *necessario* vult, quod de se intel ligit,

ligit, & necessario intelligit, quod extra se vult.

CCVIII. Multum autem hæc Spontaneitas in Deo distat à Spontaneitate creaturæ, quia a nulla caussâ extra se sed tantum à necessaria naturæ suæ Perfectione ad ita operandum determinatur.

POTENTIA DEI.

CCIX. Per potentiam Dei intelligimus istud Attributum, quo per merum Voluntatis nutum efficit, quod vult, ita ut nihil frustra velit, sed semper eum, quem destinavit, scopum assequatur.

CCX. Reapse ergo Potentia Dei nihil aliud est, quam simplicissima Voluntatis ejus determinatio. Nam Mens nihil potest, nisi per Voluntatem & Potentia ejus a Voluntate ipsa non differt nisi mera tantum relatione.

CCXI. Hoc Attributum divinum licet itidem, quatenus versatur circa Rerum extra Deum Existentiā & Conservationem, ad Relativa pertineat, certo tamen respectu inter ipsa Essentialia Attributa est ad numerandum, quia Voluntas perfectissima non potest concipi absque Potentia, etiam si nihil extra se producat.

CCXII.

CCXII. Ea propter ad *objecta* Potentiae divinæ non solum creaturæ, sed etiam ipse. Deus est referendus, quatenus vult seipsum esse & permanere uti est, qui actus potentiae divinæ coincidit cum ejus Independentia, eademque fundamenta habet.

CCXIII. Sed & quoad res extra Deum distingui potest inter *potentiam absolutam* & *ordinatam*. Absolutæ objectum sunt omnia *possibilia*, unde hæc radix est *possibilitatis rerum*. *Ordinata* cum agat secundum decretum, infra lustrabitur.

CCXIV. Utraque limitatur per *Sanctitatem* & *Sapientiam* Dei, quæ tamen limitatio non est *Potentiae* Dei in abstracto consideratæ, sed ipsius *Voluntatis* Dei, quæ a *Potentia* non differt. *Omnipotens* est Deus, quia *omnia*, quæ *vult*, *poteſt*. Sed nihil aliud vult, quam quod summæ suæ Sanctitati & Sapientiæ convenit, quam pro absolutissima omnium actionum *norma* habere summa est *Perfectio*.

CCXV. Ex hoc fundamento *non potest* facere *contradictoria*, quia tum poneretur, Deum facere & simul non facere, *idem vel le & nolle*, quod absurdissimum est. *Non posse & non velle* in essentia divina synonyma sunt.

B E A



BEATITUDO DEI.

CCXVI. Per Beatitudinem *Dei* designatur suavissima *acquiescentia* Voluntatis divinæ in Perfectionum suarum intima contemplatione & jucundissima *conscientia*.

CCXVII. Illa Deo est naturalis , tum quia summam naturæ *Bonitatem* semper summa *Voluptas* comitatur , tum quia nihil extra Deum tranquillæ ejus *in seipso quietè* ac *satietati* obicem ponere potest.

CCXVIII. Longissime hæc Beatitudo exsuperat omnem creaturarum , præsertim rationalium , capacitatem : quia earum Perfectio admodum *limitata* est , neque *totam* , cuius capaces sunt , necessario possident , neque *in suo sinu* eam habent , sed extra se querere debent.

CCXIX. Falsissimus autem plane est Epicuræorum de hac *Beatitate* conceptus , quando eam in *otio* collocant , cum tamen *otium* revera sit imperfectio , adeoque plenam Voluptatem nil nisi *perfecta Actuositas* gignere queat.

BONITAS DEI.

CCXX. Omnia horum Attributorum
com-

complexus *Bonitas* Dei dici potest. Cum enim omnis *Bonitas* sit aut *moralis* aut *physica*, utramque perfectissimo modo Deo inesse ex omnium attributorum, quæ commemoravimus, inductione facile conficitur.

UNITAS DEI.

CCXXI. Ex iisdem fundamentis deducitur Entis summe perfecti *Unitas* *absoluta*, quæ comprehendit, *tum* quod in se *unam* substantiam, unum individuum, unam ad eoque Mente perfectissimam conficiat, unitate non solum specifica, sed etiam *numerica*; *tum* quod in relatione ad alias res ita sit *unicus*, ut contradictionem involvat, plures esse Deos.

CCXXII. Id ut demonstretur, nihil aliud opus est, quam dicta & probata denuo percensere. Omnia argumenta sive pro Dei perfectione summa in se spectata, sive pro præcipuis hujus perfectionis attributis, sigillatim *Aseitate*, *Eternitate*, *Independencia*, *Omniscientia*, *Omnipotentia*, & ita porro, prolata ad unum Deum ducent. Et si plures essent Dii, tum *idea* *pluralitatis* in Deitatis idea contineretur, quod non tantum falsum est, sed etiam absurdum.

absurdum, quia idea tum *summæ perfectiōnis* in genere, tum *perfectissimi intellectus ac perfectissimæ voluntatis* in specie, e diametro πολυθέοτητι adversatur. Adde quod *totum Universum*, constans ex partibus inter se connexis, mutuamque ad se invicem relationem habentibus, sicut *unum tantum Mundum conficit*, ita ad unum tantum Deum ducat.

CCXXXIII. Neque huic Unitati præjudicat *Polytheismus* adeo *universalis gentium*, cum constet illum aut ex obscurata veræ *Perfectionis* per varia præjudicia ac perversas cupiditates *Idea*, aut ex *fraudibus Sacerdotum malignorumque Spirituum illusionibus* ortum esse.

CCXXXIV. Ex inductione sane singulorum Deastrorum patet, quoscunque præter unum Deum summum excogitarunt, *Deos factios* fuisse, sive eos ut *Dæmones*, sive ut *Homines Deificatos* considerarent, sive, quod adhuc absurdius, in ipsarum rerum brutarum atque inanimatorum cultu subsisterent.

CCXXV. Domesticis quoque argumentis *Polytheismus* facile refellitur, petitis præcipue a *prodigiosis gentilium*, uno absurdo ex alio sequente, de suis Deastris *figmentis*; a *confictu singularum nationum*

pro suorum idolorum sibi peculiarium præ aliis præstantia; ab *inconstantia*, qua cultus idolorum, ubicunque humana vi destituebatur, plane concidebat, ab *anxietate* eorum, qui unum Deum adorantes offendere alium timebant; a *confugio* eorum, quos fabularum pudebat, ad *sensus* earum *Allegoricos* sive *physicos*, sive *ethicos*; nec non a Philosophorum *diffensu*, qui passim aut *Unitatem* Dei suis dogmatibus utcunque restabilire, aut in *Atheismum* vergeare, *deteriori consilio*, solebant.

IN COMMUNICABILITAS DEI.

CCXXVI. Omnia argumenta, quæ Unitatem naturæ divinæ probant, simul evincunt, quod ea alteri, qui natura Deus non est, *communicari* nequeant. Quædam enim attributa, qualia sunt *Aseitas*, *Independentia*, *Aeternitas*, omnem *communicationem* respnuunt; & licet aliorum *Imago* quædam imprimi etiam mentibus finitis possit, quo pertinet *Sapientia*, *Sanctitas*, *Beatitude*, istud tamen, quod in his *Attributis*, quatenus in Deo locum habent, *infinitum* est nullam *communicationem* admittit.

CCXXVII. Ex hoc principio evertuntur non solum *apotheoses* gentium, sed etiam eo-

DEI ESSENTIALIBUS. 67

eorum placita, qui communicationem tum totius essentiae divinæ sive per naturam, sive per partum, tum singularium quorundam attributorum divinorum, sigillatim omniscientiæ & omnipotentiæ, incaute admittunt.

C A P U T IV.

DE OPERIBUS DIVINIS.

CCXXVIII. **A**nquam *Attributa Dei Relativa* enumeramus, *Opera Dei* perlustrare debemus, ex quibus illa a posteriori agnoscantur.

CCXXIX. Cum autem duplex in Deo distingui possit *operatio*, altera, qua *circa seipsum* actuosus est, & permanisset, etiam si nihil extra se producere voluisset; altera, qua versatur *circa res extra se*: priorem *inaccessibili*, in qua Deus habitat, Luci relinquentes, posterioris tantum rationem hic habemus, illius hoc capite *ordinem*, & sequenti *finem* consideraturi.

CCXXX. *Ordinem* operationis divinæ, licet in se *simplicissimæ*, concipere jubet tum *ingenii nostri imbecillitas*, tum effetus *successiva præstatio*, tum *objectorum innumerorum multitudo*.

E 2

CCXXXI.



CCXXXI. Distinguimus ergo inter *Opera Dei intrinseca & extrinseca*, seu *ma- vis immanentia & transeuntia*, quorum illa horum fundamentum sunt. Ad priorem classem pertinent *Decreta Dei*, ad posteriorem *Creatio & Providentia*.

DE DECRETO DEI.

CCXXXII. *Decretum in Deo illum Voluntatis ejus liberrimum Actum denotat*, quo ab æterno non solum *Res extra se* producere constituit, sed etiam earum *omnia ac singula momenta in omnem æternitatem delineavit*.

CCXXXIII. Deo id necessario adscribendum esse *tum natura Operis externi*, quod prærequisit *Molimen*, cuius est effetus; *tum sigillatim longa illa ac firma omnium Operum Dei in omnem æternitatem concatenatio probat*.

CCXXXIV. *Objectum* hujus *Operis tantæ* est amplitudinis, quantæ ipsum Opus, scilicet non solum *Res omnes* in genere consideratæ, præsentes, præteritæ, futuræ, sed etiam omnes earum formæ, modi, eventus, iisque *tum contingentes tum necessarii*, adeoque omnes ortus & interitus, ac uniuscujusque, præcipue ho-

DE OPERIBUS DEI. 69

hominis, in omnem æternitatem fors.

CCXXXV. Hoc requirit non solum arctissimus rerum inter se invicem *ad communem finem nexus*, sed etiam earum *imperfectione* ac dependentia, Deique Independencia. Nam si *futurorum quædam* non forent Decreti divini objecta, illa eatenus in creaturæ potestate essent relicta, & Deus quoad eorum notitiam dependens ab illis esset. Et si res quædam secundum certos modos possent independentes esse, nihil obstat, quo minus plures, adeoque omnes dependentiae suæ vinculo solverentur, atque ita Deus sine suo plane excideret. Adeo experientiam docentem, quam magni eventus a minimis circumstantiis pendeant.

CCXXXVI. *Liberas autem* creaturæ rationalium *Actiones* tantum abest, ut *Decreto Dei* subtrahere audeamus, ut potius præcisius, quam alias Res, ei subjiciamus, ne totum Regimen Dei turbemus & a consiliis creaturarum suarum dependens faciamus.

CCXXXVII. Neque hoc *Libertatem* creaturæ pervertit, quod illa *Decreto divino* subjiciatur, sed intra justos limites cogit, cum *Libertas*, quæ voluntatis divinæ moderamini non subiecta est, in creaturam non cadat. Ipsa difficultas, quæ in ho-



rum extremorum conciliatione occurrit,
Sapientiae divinæ indicium est.

CCXXXVIII. Maximæ difficultas hæret in conciliatione *Actionum malorum* cum *Decreto divino*, quia hoc earum necessitatem, adeoque justam excusationem videtur involvere.

CCXXXIX. Neque eam tollunt, qui peccatum *nihil* esse volunt, cum *nihil* non sit, quod *actionis* formam constituit, quodque *pœnae* subjicitur; & eadem recurrat exceptio, etiamsi Deus nihil aliud decreverit, quam rectitudinem omnem requisitam ad Actionem bonam non indulgere.

CCXL. Sufficere ergo debet *a parte Dei*, quod peccatum decreverit non *operari*, sed *permittere*, idque non sub ratione *finis*, sed duntaxat *medii*; & *a parte peccatoris*, quod ille nullius necessitationis per Decretum Dei sibi sit conscientius, & *sponte sua* peccet.

CCXLI. Permissionem sane *lapsus decernere*, non potest statui Deo indecens fuisse, cum sapientissime hominem labilem producendi consilium capere potuerit. Non solum enim non tenebatur Deus homini plus perfectionis dare, quam volebat, sed etiam, nisi peccatum possibile fuisse, multæ Dei Hominumque virtutes latuissent. Neque

que enim Deus mundi fuisset Iudex, si nullus explorationi aut judicio fuisset locus, neque Homines ita plene humilitatem in sua a Deo absoluta dependentia, & constantiam in vincendis peccati illecebris exercere potuissent.

CCXLII. *Actus* Decreti divini cum sit actus Voluntatis ejus, liber est, & quidem *Libertate Indifferentiae*, seu mavis, *Independentiæ* (de vocibus enim non litigabimus) qualem requirit Decretum circa *Res extra Deum*, quæ per naturam suam non sunt *necessarie*, sed tantum *contingentes*. Unde hac negata *fatalis* omnium rerum inducitur *necessitas*. Dupliciter autem hæc *Libertas* concipitur, vel quatenus versatur circa agendum aut non agendum, vel quatenus versatur circa sic aut aliter agendum. Prior dicitur *libertas contradictionis*, posterior, *libertas contrarietatis*, & utraque Deo competit.

CCXLIII. Porro *Actus* ille Decreti divini est *simplicissimus*, ita ut Deus, qui nulla opus habet deliberatione, unico actu omnia definiverit, semperque uno intuitu intellectui suo præsentissima habeat. Quare quando Decreta Dei in plurali adscribimus, objectorum pluralitatem & ordinem rerum sistendarum iterum respicimus.

CCXLIV. Cum autem Actus ille omnes *Res futuras anteverterit*, nullumque *temporis successio* ante rerum primordia locum habuerit, Decreto Dei necessario *æternitas* est adscribenda. Nihil sane magis a Libertate atque Independentia Dei abludit, quam *horaria* ei decreta pro re nata tribuere.

CCXLV. Ad quæstionem, an *decreta* sint *Deo coæterna*? respondemus, quod si *Æternitas* sumatur pro *necessitate Existentiæ divinæ*, quæ *metaphysica* & maxime emphatica hujus vocis notio est, istud propter adsertam Dei circa Decreta Libertatem, utique inficias eamus. Admittit tamen id potest in *sensu vulgari*, quia nullum *momentum* in Deo concipi potest ante ejus Decretum; adeoque videndum, ne hæc controversia in meram *logomachiam* beat.

DE CREATIONE.

CCXLVI. *Creatio* est actus ille voluntatis divinæ, quo Res, quas Deus Decreto suo *futuras* desiniverat, existere actu & cum effectu jussit.

CCXLVII. Opus hoc datis rebus existentibus necessario Deo adscribendum esse, constat

DE OPERIBUS DEI. 73

constat tum *ex natura rerum existentium*,
tum *ex natura ipsius Dei*.

CCXLVIII. Quomodo *natura rerum existentium* id requirat, patet ex omnibus argumentis, quibus Cap. I. eas requirere *Caussam*, & *Caussam* illam esse *Ens summe perfectum* evicimus.

CCXLIX. Idem confirmat *Natura Dei*, cui neque *Intellectus perfectissimus*, neque *perfectissima Voluntas*, neque *Beatitudo summa* competeteret, si quicquam ab eo non productum existeret.

CCL. In vanum ergo in societatem Creationis Deo aut *Natura plastica* aut *Spiritus* alii finiti junguntur, quia ad productionem rerum, quae non erant, *absoluta Independentia & Potentia* requiritur, & quia hoc admissio Deus honorem cum creatura divideret, qui ei soli competit.

CCLI. *Objecum* ergo Creationis divinae sunt *Res omnes existentes*, maximae, minimae, secundum omnes existendi modos, quarum complexus *Mundus seu Universum* dicitur.

CCLII. Mundus hic a nobis concipiatur *unicus* tantum esse, & quidem ita, ut plures mundi nisi cum contradictione statur nequeant. Si enim essent, distare a se deberent, aut per *aliquid*, aut per *nihil*.

E 5

Si

Si per *nihil*, continui essent, adeoque unum universum constituerent. Si per *aliquid*, istud ipsum, quod interjaceret, esset aut *Spiritus*, aut *Corpus*. Per *Spiritum* nulla corporum disjunctio potest fieri. *Corpus* autem, si interjaceret, id ipsum contiguos mundos redderet.

CCLIII. Faceſſere ergo jubemus *spatia imaginaria extra mundum vel ante mundum*, quæ aut *nihil* sunt, aut si *aliquid*, pars debent esse hujus mundi, Deumque authorem habere. Eadem absurditate premitur *vacuum*, in præjudicium omnipotentiae divinæ excogitatum, quod cum ad Rerum existentium ac productarum genera referri nequeat, ipsum quoque in nihilum abit.

CCLIV. Alia tamen quæſtio est, annon Deus posſit facere, ut præter hoc nobis cognitum mundi ſyſtema alius diuersus exiſteret rerum ordo, qui licet *contiguus*, nullam tamen cum hoc ſyſtemate *communicationem* haberet? aut annon mundi hujus extenſionem in immenſum augere queat? Hoc enim, si antecedenter ad Decretum Dei ſpectemus, & *Indifferentia Dei*, & mundi *finitudo* fieri poſſe persuadet.

CCLV. Mundum enim *finitum eſſe* non ſolum illimitata Dei ac nunquam exhausta Potentia, ſed etiam natura partium mundi,

di, quæ numerari, dividi, mensurari possunt, quod conceptui *infiniti* contrariatur, abunde probat.

CCLVI. Sunt, qui ex omnibus *Mundis* possibilibus optimum ac pulcherrimum Deum elegisse statuunt, in quo si quædam videantur incommoda, incommoda proprie non sunt, siquidem pulchra illa series, ille Mundorum omnium optimus, sine iis stare non posset. Hi videant, ne & *Liber-tati Dei* derogent, & mali necessitatem in-vehant, & temerario ausu istud simpliciter pro optimo ac sapientissimo declarent, quo nihil præstantius Ratio humana assequitur.

CCLVII. Aëtus ipse *Creationis* solo Voluntatis divinæ nutu absolvitur, uti ex natura Potentiæ §. 209. descripta sequitur; adeoque in se est *simplicissimus*, licet quoad *objecta* distingui queat. Quædam enim Deus jubere potest, ut existant, *absque* ulla *prævia materia*; ad alia pro Libertate sua adhibere potest *materiam*, sed plane per se ineptam, quod utrumque æque potens & efficacis Voluntatis opus est.

CCLVIII. Ad circumstantias *Creatio-nis tempus* pertinet, circa quod Rationihil determinat, sed tantum inter diversas Histo-ricorum relationes optionem facit, in qua

Mosai.



Mosaicam de origine mundi traditionem
multo magis veritati consonam esse , quam
vanas *Egyptiorum , Babyloniorum ac Sinen-*
sium computationes , ex annalium defectu ,
origine populorum , artium inventione &c.
colligit : quæstionem autem , an Mundus
citus creari potuisset , ut vanissimam , con-
temnit .

CCLIX. Sed & ordinem , quo singula
Deus produxit , determinare Ratio non
audet , cum eam plane lateat , an Mundus
unico momento , an successive prodierit ? Ne-
que tamen frustranea judicanda est Philo-
sophorum opera , qui ex hypothesi , quod
successive extiterit , inquirunt secundum
regulas motus ab ipso Creatore fixas , quo
ordine singula ex suis principiis prodire
potuerint . Nam hoc quoque ad veram
Revelationem a prætenis discriminandam
momentum insigne afferit .

CCLX. Statim in primo saltem Rerum
ortu creaturam quoque *rationalem & sigil-*
latim Hominem esse conditum , earum ad
hominem relatio docet .

CCLXI. Nec plures homines ab initio
esse productos , sed unum , aut saltem *par*
unum , omnium fuisse primum , conficitur
tum ex generationis serie , quæ cum fiat per
individuorum multiplicationem retro nume-
rando .

rando ad unitatem necessario reducitur,
tum ex uniformitate staturæ humanæ.

CCLXII. Hoc adeo verum est, ut ipsæ
gentes tacito consensu in hanc traditionem
conspiraverint; neque per exemplum *inco-*
larum Americæ a nostro orbe divisæ refelli
potest, cum quanam via homines eo pe-
netraverint, probabiliter saltem ostendere
non sit difficile.

CCLXIII. Sed & meliorem Hominis
conditionem ab initio fuisse, ac nunc est,
facile quis sibi persuadebit, qui & *scopum*,
ad quem Homo est conditus, & *ruderæ*
Imaginis cuiusdam *divinae* excellentioris in
mente residua, & varia *beneficia*, quorum
Homo statim ab ortu suo compos est fa-
ctus, tot creaturarum usu gaudens, &
corruptionem, cuius primus author Deus
esse non potuit, & *corporis* sortem nunc
præ aliis animantibus brutis *abjectam* atque
miseram intuetur.

CCLXIV. Illa *meliор conditio* procul
dubio involvit *Facultatum* Hominis *mora-*
lium majorem *perfectionem*, quam quæ
nunc in illis conspicitur. Illæ enim se,
quoad maximam saltem generis humani
partem, ita nunc habent, ut nequeant
censi pro opere tanta cauſa digno, quia
scopo ejus plane contrariantur. Unde fa-
cile

cile est collectu, quod undecumque illa *præsens deformitas* ortum trahit, a Deo saltem esse nequeat, quod adeoque *Facultates* hominis aliter, ac nunc sunt, fuerint constitutæ, quum recenter ex manu summi Opificis prodibat.

CCLXV. Quanam autem in re Facultatem Menti recens vigor ac vera *pulchritudo* constiterit, ex ipsa Menti natura potest confici. Cum enim illa quoad essentiam *physice* consideratam *similitudine* quadam Dei gaudeat, unde ipsi Ethnici se *Dei genus esse* prædicandi ansam ceperunt; hinc sequitur, quod vera ejus Perfectio ac pulchritudo in nulla alia re possit consistere, quam in talibus qualitatibus, quæ *imaginem* illarum perfectionum exhibent, quæ in *Facultatibus Meniis* *perfectissimæ* radiant, quoisque mens finita saltem eam gerere idonea est.

CCLXVI. Dubitari ergo nequit, quod intellectus hominis statim a creationis initio gavisus sit sufficienti Dei *Cognitione*, & voluntas *Sapientia* in judicio nec non *Sanctitate* in sua propensione; quæ quamdiu aderant, non poterat non gratum favoris divini sensum in *Conscientia* sua habere, adeoque & instar *Beatitudinis* divinæ gerere, plenoque usus creaturarum jure frui.

CCLXVII.

CCLXVII. Talem autem fuisse primigenium Hominis statum eo magis certum est, quia hæ qualitates necessario requirebantur, si homo *Finem* illum attingere deberet, ad quem eum conditum esse Cap. V. ostendemus.

CCLXVIII. An vero alia quoque vasta *Planetarum corpora* rationales incolas acceperint, Ratio modesta non audet plane determinare, licet non levia ei appareant argumenta, quæ istud saltem *probabile* reddunt.

CCLXIX. Atque hæc sunt, quæ Ratio de Creatione rerum novit, quæ plane evertunt crassos eorum errores, qui Mundum aut ab *æterno* fuisse, aut *fato*, *casu*ve profiliisse prætendentur, quorum impietatem in demonstratione existentiæ divinæ jam occupavimus.

CCLXX. Et sane frustra contra veritatis hujus splendorem pugnant per axioma illud, quam verum in *physica*, tam falsum in *mætaphysica*, quod *ex nihilo nihil fiat*, & quod *caussa non det, quod non habet*.

CCLXXI. In re quoque seria ludit Spinoza, Deum Creatorem describens, ut *caussam rerum omnium immanentem, non vero transeuntem*, qua definitione admissa omnis Creationis conceptus perit.

CCLXXII. Sed & ex professo illam evertit

evertit prætensis illis principiis , quod *substantia* nequeat producere *substantiam* , & quod *duæ substantiæ diversa attributa habentes* , *nihil inter se commune habeant* , adeoque *una alterius caussa esse nequeat* , quæ omnia per verum omnipotentiæ divinæ conceptum concidunt.

DE PROVIDENTIA.

CCLXXIII. *Providentia* designat perpetuam Dei circa Res productas auctuositatem , ut illæ congruo ordine ad Finem suum deducantur.

CCLXXIV. Illam dari nemo negabit , qui Creationem admittit . Cum enim Deus *nihil frustra faciat* , impossibile esset , ut Finem in Creatione propositum attingeret , si res productas a primo existentiæ momento aut perire iterum fineret , aut sibi permetteret . Ex iisdem ergo fontibus tum imperfectionis Naturæ , tum Perfectionis Dei , ex quibus de *Creatione* certi sumus , de *Providentia* persuademur . Unde recte veteres : *Si Deus est , Providentia est* .

CCLXXV. Tota Providentiæ gloria ad Deum *solum spectat* , tum quia ille ad omnes ejus actus sufficit ; tum quia creatura ejus capacitatis non est ; tum quia Deum

DE OPERIBUS DEI

Deum non decet, ut hunc honorem in
creaturam transferat.

CCLXXVI Sub *Providentia* tres specia-
liores actus Dei comprehenduntur, *Con-
servatio*, *Concursus*, & *Gubernatio*. In duo-
bus prioribus Deus consideratur ut *Causa*
efficiens continuatae tum *existentiæ*, tum *acti-
vitatis*; in tertia ut *Causa finalis*. Piores
duo fundamentum sunt omnis *dependentia*
physicæ, unde a quibusdam in unum com-
pinguntur; ultimus autem simul *dependentia*
moralis, in qua creatura est constituta.

DE CONSERVATIONE.

CCLXXVII. *Conservatio* est ille Dei
actus, a quo res existentes habent, ut por-
ro sint; unde non ut actus mere *negativus*,
sed maxime *positivus* est concipiendus, qui
reapscé nihil aliud est, quam *continuata*
Creatio, quia eandem, quam *Creatio*,
Potentiam requirit, ejusdemque quoad
creaturas *necessitatis* est, quae quoad *existen-*
tiam *continuatam* æque *contingentes* sunt, ac
quoad *existentiam* *primam*.

CCLXXVIII. Differentia tamen quædam inter *Creationem* & *Conservationem* nascitur ex diversa relatione, quam eadem potentissima Voluntas Dei ad res extra eum

F habet,

habet, dum eas in Creatione ut *non existentes*, sed in Conservatione ut *existentes* considerat.

CCLXXIX. Modus Conservationis talis est, qualis naturæ rerum *contingentium* convenit, nempe per *durationem* successivam in *singula momenta* efficaci voluntate Dei continuandam; unde continuatio illa secundum aliarum rerum coëxistentium durationem *mensurari* potest, quod *Tempus* dicitur.

CCLXXX. Objecta conservationis æquale patēnt, ac objecta creationis, summa, imma, maxima, minima. Nihilominus distinctione, quæ in objectis fieri potest, diversos ipsius Conservationis gradus constituit.

CCLXXXI. Primo enim conservantur ipsæ rerum *essentiæ*, idque ita, ut non solum non *annibilentur*, quod licet possibile sit, propter rerum *contingentiam*, nihilominus usquam fieri non percipimus, sed etiam nūquā inter se *permūtentur*, quod per ipsam rerum naturam impossibile est.

CCLXXXII. Nec tantum generales rerum *essentiæ*, sed etiam præsens *status* singularum *substantiarum* atque *individuum*, ejusque pro arbitrio Dei, sive ad certum tempus, sive in omnem æternitatem in singula momenta continuatio Conservatiōni divinæ sūbet.

CCLXXXIII.

CCLXXXIII. Diversitas tamen, quæ inter substantias *extensas* & *cogitantes* intercedit, diversitatem quoad conservacionis tum *modum*, tum *duracionem* efficit.

CCLXXXIV. Modus Conservationis differt, quia substantiæ *cogitantes* per suam *simplicitatem* aliarum rerum mixtura ad suæ subsistentiam non indigent, adeoque *immediate* conservantur, secus ac *extensæ*, quæ *mediatam* conservationem ad *partium situm*, *motusque continuationem*, requirunt. Unde subsistere non possent, nisi *eadem semper* in mundo & ad naturam singulorum corporum accommodata *quantitas motus* (*natura*, secus ac quidam statuunt, *nunquam defescente*) conservaretur.

CCLXXXV. Duratio singularum substantiarum itidem plane diversa est, cum *extensæ* varijs mutationibus & revolutionibus, tam particularibus, quam generalibus, sint obnoxiae, quæ *res cogitantes* nihil continent.

IMMORTALITAS ANIMORUM.

CCLXXXVI. Hoc primum fundatum est *immortalitatis animorum*, quæ partim *negative*, partim *positive* a nobis considerari potest.

F 2 CCLXXXVII.

CCLXXXVII. *Negative* per illam excluditur communio cum morte corporis. Cum enim sit substantia plane distincta a corpore, ejusque concursu ad subsistendum minime indigeat, hinc dissolutio corporis nullam mutationem ejus subsistentiae infert. Eodem fane modo, quo corpus interit, soluta partium compage, quia ilias non habet, mori nequit. Unde Gentilium quoque Philosophi animam corpori fore superstitem agnoverunt.

CCLXXXVIII. *Positive immortalitas* haec involvit singularum animarum in omnem æternitatem perdurationem, quam licet possibilem Ratio agnoscat propter Dei Potentiam, necessariam tamen esse non perspicit, cum in Idea rei contingentis Idea sempiternæ existentiæ non contineatur. Invenit interea argumenta varia, quæ hanc tantam, tamque optabilem spem non solum probabilem, sed etiam satis certam reddunt.

CCLXXXIX. Probabilis haec spes præcipue fit ex eo, quia substantia cogitans nequit perire, nisi per annihilationem, quam tamen cur non timeat, varias rationes habet. Sed & ex conceptu immortalitatis, quem habet, & ex justitia Dei probabiliter argumentari potest.

CCXC.

CCXC. Apodicticum autem maxime argumentum petitur a desiderio summi boni, quod in voluntate esse, atque ei a Deo inditum esse supra adstruximus. Hoc desiderium cum per Veracitatem, quin etiam per ipsam Sanctitatem Dei, implendum sit; summumque Bonum, nisi æternum, esse non queat, atque eapropter æternum sit, quod Voluntas nostra naturaliter appetit, facile convincitur, æternitati se destinata esse.

CCXCI. Quomodo autem illa Conservatio mentis se sit habitura, & an soluta a Corpore sit permansura, an Corpori iterum conjungenda, id Ratio penitus ignorat. Posterior tamen, si Deo ita placuerit, & possibile & Sanctitati Dei conveniens deprehendit.

CCXCII. Neque alicujus ponderis hic est objectio illa primaria, quæ a corporum non solum dissolutione, sed etiam permixtione, ut videtur, cum aliorum corporum essentia petitur; quando scilicet illa non solum in ferarum aut piscium, sed etiam antropophagorum alimenta transeunt. Nam ad hoc quoque potentia Dei sufficit, ut si velit, impedire possit, ne particula essentiam unius corporis conficiens, in essentiam alterius corporis transeat. Et ex-

missus

F 3

perientia



86 DE OPERIBUS DEI.

perientia docet, esse in unoquoque corpore per generationem producto *semen* aliquod radicale subtilissimum, nullis mutationibus obnoxium, quod adeoque in alterius corporis essentiam transire nunquam potest.

CCXCHI. Id saltem, quod Scriptura de hac *in futurum Conservatione* docet, lumini suo magis consentaneum, quam *animorum Pythagoricas* in alia corpora *migrations* aut *Platonicorum revolutiones* Ratio agnoscit.

DE CONCURSU.

CCXCIV. *Concursus* Dei sub *Conservatione* quadammodo continetur, & specialem ejus circa particulares modificaciones, tum *Corporum* quoad principium particularis *motus animalium*, quin & *vegetabilium*, ita ut nulla *anima sensitiva*, aut alia *natura intermedia* ad eum producendum opus sit, cum præcipue *Mentium*, quoad singulos earum actus, determinationem designat.

CCXCV. Incommoda licet vox sit, de re tamen ipsa non est dubitandum, quia nullam veri nominis *Causalitatem* rebus inesse ex jactis fundamentis constat. Non magis enim *creatura sequentium motuum & actionum singularum causa* esse potest, quam

quam primæ motionis & actionis fuit, cum non solum eadem vis ad sequentes, quæ ad primas excitandas, requiratur, sed etiam nullus necessarius inter primas & sequentes nexus sit.

CCXCVI. Clarissime necessitas hujus Concursus demonstrari potest ex nexu inter Mentem & Corpus meum, a quo tot particulares Mentis actiones & Corporis motiones dependent. Cum autem neque Mens illarum motionum, neque Corpus illarum actionum caussa sit, identidem intercedere Concursus Dei debet.

CCXCVII. Circa modum hujus Concursus ad liberas actiones notissima est controversia, quibusdam generalem tantum in conservatione facultatum consistentem, atque ita ab actu Conservationis nihil differentem, statuentibus.

CCXCVIII. Quod cum non sufficiat ad asserendam Dei a creatura Independenciam, alii rectius specialiorem Concursum urgent, eumque non solum moralem, agendi occasionem & objecta intellectui sistentem, sed etiam physicum, qui singulas voluntiones producit, easque ita a Deo dependentes facit, ut tamen libertatem creaturæ rationali competentem non tollat.

CCXCIX. Ipsæ actiones malæ ex hoc
F 4 Con-

Concursu participant, quamvis per Sanctitatem Dei impossibile sit, ut per suum Concursum ipsam *malitiā* infundat.

CCC. Difficultates contra hunc Concursum coincidunt cum illis, quae contra Decretum Dei moventur, & ex iisdem fontibus debent solvi. Neque enim Deo indignum esse potest *physice* concurrere ad actiones, quas ad certum finem se dignum futuras decrevit.

CCCI. Quod si quædam indissolubiles manere videantur, id inde oritur, quia *modum* Concursus divini ignoramus. Propter id autem, quod obscurum est, id quod clarum est, negari non debet, præcipue, quando de tali re agitur, quam adæquate cognoscere non possumus, qualis est *modus operationis divinæ*, & quando contraria sententia non minoribus difficultatibus premitur.

CCCII. Singulare Concursus divini exemplum *singulorum hominum generatio* præbet, per quam nobilissimum creaturæ Rationi notarum genus ab interitu præservatur. Quod eo magis requirit divina Sapientia, quia alias illarum quoque rerum Conservatio, quæ ad hominis usum sunt dispositæ, inutilis reddegetur.

CCCIII.

CCCIII. In illa autem *Concursum Dei* singularem requirit non solum novi *Corporis organici* cum interno *motus* principio productio, sed adhuc magis *Anima rationalis*, cui *Corpus* istud habitandum datur.

CCCIV. De hujus animæ initio crasse sentiunt non solum, qui illam ex corpore per *traducem* generari, aut ex *sensitiva* qualis antea fuerat, sub generationis articulo in *ratiōnalem* mutari somniant: sed etiam, qui mollius loquentes, totum hominem a toto homine generari statuunt, atque animæ vim producendi animam sui similem adscribunt.

CCCV. Admitti hoc nequit, *tum* quia *multiplicatio* est aliquid corporeum: *tum* quia nihil est in Mente, quod *materia* alterius Mentis esse possit, unde generatio novæ Mentis esset novæ substantiæ productio, *tum* quia anima sibi hujus facultatis conscientia non est; unde nihil restat, quam singulas singulorum hominum Animas, earumque *cum embryone unionem* esse opus Dei cum creatura immediate concurrētis.

CCCVI. Id quod eo magis agnoscendum, quando rejecto Origenistarum de *præexistētia animarum* errore, & exploso

90 DE OPERIBUS DEI.

musteo de creata ab initio cogitatione universalis, cuius singuli subsistentes Spiritus modi tantum sint, figmento, eo tandem devenire fas est, ut statuamus, singulas Animas simul cum singulorum corporum generatione a Deo produci.

CCCVII. Inter varias quæstiones circa hanc Animarum productionem orientes, materiamque de *Concursu divino*, tanquam certo experimento, egregie illustrantes, maximam difficultatem habet ista, quomodo Animæ a primo initio corruptio afficitur?

CCCVIII. Hæc quæstio non satis caute tractata absurdis opinionibus ansam dedit, quas transeuntes, duas tantum sententias præ reliquis eminentes notamus, alteram quæ *puram* creari a Deo animam. sed statim a quo in corpus inditur, intercedente abusu liberi arbitrii, corrumpi; alteram, quæ *impuram* creari contendit, verumtamen non tanquam suppositum a corpore separatum produci, sed a primo statim productionis momento cum corpore ita uniri, ut cum eo unum individuum constituat.

CCCIX. Fatendum est, in utroque responso Rationem maximas offendere tenebras. Quia tamen labem nativam per experientiam abunde confirmatam negare nequit,

DE OPERIBUS DEI. 91

nequit, in alterutro ei subsistendum est. Cum igitur posterior sententia minores difficultates habeat, in illa eo libentius acquiescit, quia ea modo Concursus divini magis est analoga, & quia non magis conceptu difficile est Deum, secundum ordinem generationis animam imagine sua cassam producere, quam per continuatam creationem conservare.

CCCX. Ita enim nihil aliud statuitur, quam Deum ab initio hunc instituisse ordinem, ut unumquodque sui simile generet, qui ordo, uti in nexu suo naturali relinquitur, nulla caussa Deum obligante, ut illum mutet, non aliter fieri potuit, quam ut a sanctis parentibus sancti, ab impuris impuri liberi gignerentur.

DE GUBERNATIONE SEU
REGNO DEI.

CCXI. *Gubernatio* dicitur ille Dei actus, quo secundum certas leges omnia ita moderatur, ut fines sibi propositos tam ultimum, quam subordinatum, attingat. Hac idem est, quod alias *Regnum Dei* dicitur.

CCXII. Illa Deo utique est tribuenda, tanquam *Eni sapientissimo*, quod nihil frustra

92 DE OPERIBUS DEI.

frustra facit , & *absolutissimo* ex jure Creationis omnium rerum *Domino* , qui cum Menti bus facere potest , quicquid vult . Sed & a posteriori eandem probat *Universi pulchritudo* . Domum recte ordinatam , Rempublicam bene constitutam ab aliquo regi quis inficias ibit ?

CCCXIII. *Regnum* istud est aut *physicum* , aut *moralē* . *Physicum* omnibus creaturis commune , *moralē* rationalibus proprium est . Illud spectari debet , tanquam huic subordinatum .

CCCXIV. Ad *Regnum Physicum* generatim referendum est , quod omnibus Rebus productis certas *Leges* ac *Fines* posuerit , maximis æque ac minimis , cum a minimis circumstantiis maximi eventus saepe dependeant , & æquissimum sit , ut qui minima produxit , eadem ad Finem suum æque ac maxima dirigat .

CCCXV. *Leges* certas Deus tam motui corporum , quam operationibus mentis fixit . Priors sunt *Leges* , quæ *mechanicæ* dicuntur , quæ ita se habent , ut eas mutare aut suspendere in creaturarum potestate non sit positum , cum Deus tamen sibi libertatem eas mutandi reservaverit , cuius rei documentum sunt *miracula* . Posteriores sunt *ordo cogitandi* , quem non tantum facultates

tes mentis inter se , sed etiam in relatione ad externa objecta constanter observant.

CCCXVI. Per has Leges Deus tendit ad certos *Fines* , qui in *Regno Physico* ita sunt dispositi , ut unaquæque substantia particularis respectum habeat ad alias , quæ considerari possunt aut ut *media* , quæ ad sui conservationem sunt directa , aut ut *Fines* , ad quos ipsa *medii* usum diversimode præstat.

CCCXVII. Singulare hujus Regiminis exemplum sunt res , quæ nobis ut *fortuitæ* obversantur , & nihilominus Caussas Finesque , licet nobis ignotos , habent.

CCCXVIII. Ejusdem Regiminis datum observare potissimum fas est , tum in perpetuis universorum mundi *Regnorum vivissitudinibus* , tum in singulorum hominum *vita & morte* , circa cuius *terminum* dispensandum fas est , ut singularem Dei curam agnoicamus.

CCCXIX. Regnum morale Dei moderatur *actiones* *creaturarum rationalium liberas* , non tantum *Legislatoris & Judicis* partes exercendo , ea ratione , quæ in posteriori parte latius explicatur , sed etiam singulas earum actiones ita dirigendo , ut volentes , nolentes proposito divino inseruant.

CCCXX.



94 DE OPERIBUS DEI.

CCCXX. Hoc moderamen præcipue admirabile est circa *actiones malas*, adeoque natura sua gloriæ Dei contrarias, quas tamen ita novit flectere, ut diversimode eam promoveant, *sive* limites iis figat, ad demonstrandam suam potentiam, *sive* peccatum peccato puniat, ad justitiam suam manifestandam, *sive* ex ipso malo bonum proferat, ad omnissufficientiam suam probandam, quæ dispensatio Dei maximum momentum habet, ad scrupulos quoscunque circa Concursum ejus ad tales actiones eximendos.

CCCXXI. Stat ergo veritas Providentiae divinæ inconcussa contra omnes Atheos, qui vano conatu tot dilucida ejus phænomena ex eodem aut *astrorum influxu*, aut *fato*, aut *fortuna & casu* solvere querunt, quibus, ut notavimus, gloriam summae Caussalitatis Deo eripere querunt.

CCCXXII. Futilissima etiam eorum sunt effugia, qui licet videantur Existentiam Dei agnoscere, nihilominus providam mundi curam ei eripere querunt, quasi aut cum summa ejus Tranquillitate non conveniat sollicita mundi cura, aut Majestati ejus indigna sit circa tot res vilissimas occupatio.

CCCXXIII.

CCCXXIII. Qui Providentiam impugnant, ansam capiunt a nonnullis, quæ sibi *inordinata* videntur. Temerarium hoc plane est judicium de systemate, cuius & specialiores Fines & plurimæ partes ignorantur, cum pulchritudo rerum a nexu pendeat, quemque non perspectum habet, fragmentum tantum operis musivi intueretur.

CCCXXIV. Sic, qui nesciunt concordare piorum ærumnas & beneficia in improbos collata, non reputant, quod nihil Dei Sapientiam ac Bonitatem melius demonstret, & quod tempus omne ad æternitatem collatum momenti tantum rationem habeat.

CCCXXV. Præcipuum prætextum impietas quærit in malo tam *physico*, quam *moralis*, quod in mundo est, quasi illud locum non haberet, Deo optimo ad clavum ejus sedente, cum tamen nihil magis & *Justitiam* ejus confirmet, quam *malum physicum*, neque magis indignum Deo sit *malum morale* moderari, quam permissionem ejus decernere.

CAPUT



CAPUT V.

DE ATTRIBUTIS DEI.
RELATIVIS.

CCCXXVI. **Q**uum Deus constituit extra se res producere, talem quoque *Relatiōnem* ad illas accepit, qualis est inter *Causam* & *effecta*. Sed quia illa *Relatio* pro vario *effecta* considerandi modo varie se habet, hinc varia *Attributa* specialiora gignuntur, quæ *Relativa* dicimus: non quasi per creaturas aliquid Deo accederet, quod non haberet, sed quia *Attributa* sua essentialia ex occasione consilii de rebus producendis per specialiores quosdam radios quasi extra se demonstrare voluit.

CCCXXVII. *Relatio Caussæ summæ* & rationalis ad effectum duplex est, vel quatenus per Decretum suum spectatur ut *Caussa finalis*, vel quatenus per executionem Decreti sui obversatur ut *Caussa efficiens*. Singulæ relationes in Deo per certa quædam *attributa* concipiuntur, quæ eo ordine videre juvat, quo per considerationem operum Dei nobis innotescunt.

CCCXXVIII. *Relatio Dei* considerati
ut

ut *Causa finalis* necessario præcedit, quia, qui cum Ratione agit, illi antequam agere incipiat, *de Fine suo*, constare debet. Vindendum ergo, tum quis sit *Finis Dei*, tum quomodo circa eum versetur.

GLORIA DEI.

CCCXXIX Finis Dei in omnibus operibus suis est *Gloria ejus*, quæ *in se* spētata designat tum summam naturæ ejus *Excellentiam*, tum excellentiæ hujus actualem *demonstrationem*; sed *in relatione* ad creaturas involvit infinitam excellentiæ ejus super illas *præminentiam*, ejusque *celebrationem*, dum illa rite *agnoscitur* & *estimatur*.

CCCXXX. In priori sensu *Gloria Dei* Finis est totius *intrinsecæ* & *essentialis* Dei operationis, per quam perpetuum suæ perfectionis *Experimentum* in sinu suo habet; in posteriori autem actionum omnium *ad extra*.

CCCXXXI. Quamvis enim ad *gloriosam Beatitudinem* Dei nullum augmentum omnium creaturarum celebrationes addere queant, Deus tamen ex nullo alio scopo, quam propter *seipsum* agere potest. Et hæc procul dubio ratio fuit, cur Veteres *Amori*

inter Attributa Dei primas concesserint partes , atque illum tanquam omnium rerum fontem consideraverint.

CCCXXXII. Circa Finem hunc Deus in decreto suo dupliciter actuosus fuit , tum per ejus *conditionem* , tum per *mediorum* ad eum *ordinationem*. In priori exseruit suam *sancitatem* , in posteriori etiam *sapientiam ac libertatem* , quorum omnium consequens est *constantia*.

SANCTITAS DEI.

CCCXXXIII. Cum Sanctitas Dei nihil sit nisi *Amor sui ipsius* , hinc *Sanctitas relativa* Dei est illa *Perfectio* , qua se suamque Gloriam in Finem omnium rerum extra se constituit. Ita enim agens convenienter naturae suæ , & Amori , quem sibi debet , agit.

CCCXXXIV. Hinc sequitur , quod nullas creaturas producere velit , nisi quæ perfectionum ejus vestigia ostendunt , licet permittere queat , ut illæ ab hoc fine aliquando deflectant , ut nempe in earum *pœna* novum ac singulare Sanctitatis suæ documentum edat.

CCCXXXV. Impossibile saltem est , ut Deus aliquid amet , quod Gloriam ejus odio

DEI RELATIVIS.

99

odio habet, aut ut aliquid *improbet*, aut aversetur, quod eam rite *estimat*.

CCCXXXVI. Hæc Sanctitas omnium perfectionum Dei moralium, quas mox recensebimus, radix, omnisque sanctitatis in creaturis exemplar est.

SAPIENTIA DEI.

CCCXXXVII. Hæc Perfectio in Deo
constituto rite Fine prospicit de mediis ad
Finem illum assequendum aptissimis, quo
non solum spectat, ut Res in pulcherrimo
statu atque ordine ponantur, sed etiam ut
res adsint cogitantes debitibus facultatibus tam
physicis quam *moralibus* ad Deum celebra-
dum instructæ.

CCCXXXVIII. *Concatenatio mediorum*
tum inter se, tum ad communem finem, ita
se habet, ut ex parte sit *revelata*, quate-
nus sufficit ad Gloriam Deo dandam, ex
parte *occulta*, ut ita suo se modulo metiri
creatura & ad abyssos Sapientiae divinæ
stupere discat.

LIBERTAS DEL.

CCCXXXIX. Amplissimum autem Sapientia divina se exferendi campum in sua.

G 2 Omni-

Omnisufficientia invenit, unde liberrime in selectu mediorum procedere poterat, cum in ipsis illis *mediis* nihil per se idoneum ad *finem* assequendum esset, ultra quam Deus inesse illis volebat, per *libertatem* nempe *contrarietatis*, uti monere jam §. 242. occupavimus.

CONSTANTIA DEI.

CCCXL. A rebus ita constitutis nunquam Deus in *executione* latum unguem discedit, non solum quia *mutationis* consilii nulla ratio in Deo aut extra eum datur, sed etiam quia talis *inconstancia* Dei *Sanctitatem*, *Sapientiam* atque *Omnisicientiam* everteret.

CCCXLI. Huic constantiae non contrariatur multiformis rerum atque eventuum *inconstancia*. Illa ipsa enim *variatio* in Decreto Dei est stabilita, adeoque Immutabilitatis in Deo effectus & demonstratio.

CCCXLII. Quando jam Deus per executionem Decreti sui fit *Causa efficiens*, actu res extra se sistens & regens, tum novus inde nascitur *relationum* ordo, quæ cum Deus non solum *naturæ*, sed etiam *moralitatis* omnis Author sit, iterum distingui possunt. Quatenus Deus est *causa physica* ad-

adscribitur ei *Scientia visionis*, *Potentia ordinata* & *Omnipræsentia*. Quatenus est *Causa moralis* variæ specialiores virtutes morales ei tribuuntur, sigillatim *Bonitas*, *Justitia* & *Veritas*.

SCIENTIA VISIONIS DEI.

CCCXLIII. Quatenus Deus circa *naturam rerum* in se spectatas per *Intellectum* occupatus est, *Scientia* ei tribuitur, quæ *Visionis* dicitur, nihilque aliud indicat, quam quod Deo intime notæ sint omnes *Res futuræ* per *Decretum suum*, quod illas eorumque *modos* & *fines* omnes definivit, & quod ei tanquam *Causæ rationali* cum *conscientia operanti* ignotum esse nequit. Cum enim *Decretum* hoc sit *scibile*, ab *intellectu summe perfecto*, & quidem illius Dei, qui istud condidit, necessario *cognoscitur*.

CCCXLIV. Hæc in sensu strictiori quoque dicitur *Omniscientia*, quia nempe ipsum Dei *Decretum*, cuius adæquata ei adest cognitio, ad omnia *præterita*, *præsentia* & *futura*, adeoque non solum ad *res extensas*, omnesque earum *modos ac motus*, sed etiam ad *mentes*, earumque *cognitiones* & *actiones* singulas se extendit.

CCCXLV. Præcipua difficultas hæret
G 3 in

in *Præscientia futurorum contingentium*, quæ tamen iisdem fundamentis nititur, quibus ipsum *Decretum de rebus futuris* §. 234. asseruimus. Unde illius negatio προφητείας est, ex quo hæc Dei *Præscientia* impugnatur.

CCCXLVI. Neque admitti potest inventum *Scientiæ mediæ*, per quam Deus concipitur antecedenter ad *Decretum speciale prævidisse*, quid *creatura rationalis* in certis circumstantiis posita vel actura sit, vel non actura.

CCCXLVII. Quamvis enim agnoscamus, Deum per *Ideas rerum possibilium* ad essentiam *Intellectus perfectissimi* pertinentes nosse, quid causæ secundæ secundum naturalem rerum ordinem accedente suo concurso agere vel non agere possint, ex hac tamen prævisione nulla certa *futuritio*, sed nuda tantum *possibilitas* sequitur. Et qui illud pro *futuritionis* fundamento ponunt, injurii sunt non solum contra Dei Independentiam, sed etiam contra ipsam veri nominis *libertatem* creaturæ, quam videri volunt asserere, fatalem interea omnium rerum necessitatem extra Dei *Decretum* induentes.

P-

POTENTIA ORDINATA DEI.

CCCXLVIII. Sicut Deus intime Decretum suum novit, ita illud etiam effectuidat, per *potentiam*, quæ *ordinata* dicitur, ut §. 213. monitum est, quia *ordinem* per Decretum liberrime positum sequitur. Unde Deus per *potentiam ordinatam* non omnia potest efficere, quæ per *absolutam* sunt possibilia. Nec Deo id est indecens, quia & liberrime & sapientissime illum ordinem constituit.

CCCXLIX. Summo jure hæc *Potentia ordinata* dicitur Omnipotentia, quia ad omnia, quæ fiunt, quin quæ Deus vult, se extendit. Qui omnia, quæ vult, *actus sis sit*, summum divinæ Omnipotentiæ experimentum dat.

OMNIPRÆSENTIA DEI.

CCCL. Per *Omnipræsentiam* Dei Attributum mere relativum ejus indicatur. Ipsum enim vocabulum supponit *alias res præsentes*, & quidem *omnes*, quotquot Universum constituunt, unde non solum Decretum, sed etiam Creatio, rerumque omnium per illam existentia supponitur, quando Deus omni-



præsens dicitur.

CCCLI. Cum autem Deus sit Spiritus, hinc excluso omni corporali conceptu talis *præsentia* ei tribuenda est, qualis Menti perfectissimæ convenit, quæ nihil aliud potest designare, quam *præsentem omnibus intellectum per intimam eorum, cordis penetralibus non exceptis, cognitionem, & præsentem omnibus Voluntatem per efficacem operationem*. Unde clarum est, Omnipræsentiam Dei nihil aliud velle, quam accuratissime circa omnes res versantem Dei Providentiam.

CCCLII. Quare non intelligibilia loquuntur, qui Omnipræseniam Deo esse essentiale statuunt, atque in subsidium suæ hypotheseos nescio quæ *spatia imaginaria* vocant: aut qui *ubi repletivum* ei tribuunt, qualia a conceptu extensionis liberari nequeunt.

CCCLIII. Periculosius philosophantur, qui essentiam Dei in cœlo includunt, eique operationem *in distans*, quæ fiat per *Virtutem, Providentiam atque Favorem ejus*, adscribunt. Quod figmentum facile diffatur, tum quia *essentia* Dei a *virtute* ejus non potest divelli, tum quia nullæ dari possunt *causæ*, quæ *in distans* operantur, tum quia ad operationem *in distans* singi debent

in.



intermedia instrumenta , a quibus Deus
hoc pacto dependens redderetur.

BONITAS SEU BENIGNITAS DEI.

CCCLIV. Deo considerato tanquam Authori omnis moralitatis in rebus existentibus , per quam sub regimine ejus fini suo conformiter agunt , ante omnia competit relativa quædam Bonitas , quæ tum in abstracto , tum in concreto considerari potest.

CCCLV. In abstracto designat omnisufficientiam ejus , ex absoluta ejus perfectione fluentem , per quam non solum sibi ad absolutam Beatitudinem sufficit , sed etiam omnibus creaturis præsertim rationalibus , ad earum tam esse , quam bene esse , inexhaustus fons est.

CCCLVI. In concreto significat ipsam Voluntatem benefaciendi creaturis , præcipue rationalibus , easque beatas reddendi , quæ alias χρησότης seu Benignitas appellatur , cujusque ideam habentes gentiles Deum ut Patrem communem beneficentissimumque , nec tantum maximum , sed etiam optimum , considerarunt.

CCCLVII. Et quidem merito , cum non tantum summa perfectio sit , summi Boni rationem habere , quod sui est νοιωνών , &

id ipsum idoneam maxime creaturam reddit ad Gloriam Deo reddendam ; verum etiam a parte creaturæ argumenta hujus Benignitatis præbeant tum insita summi Boni cupiditas , tum maxima ac plurima Beneficentia Dei , quibus se non *αμάρτυρον* relinquunt attendentibus , indicia.

JUSTITIA DEI.

CCCLVIII. Benignitas Dei sancte limitatur per ejus *Justitiam* , quæ consideratur vel ut *legislatoria* , vel ut *judiciaria*.

CCCLIX. *Justitiam legislatoriam* Deus exercet , dum non alias leges dat , quam *sancas* , id est perfectionibus divinis congruas , & *æquas* , id est ad naturam hominis accommodatas. Confer §. 404. Sed & *præmia pœnasque* hæc *Justitia* ita definit , ut *præmia* non sint infra spem , quam creatura a benefico Patre & Authore suo habere potest , *pœnae* vero modum meriti non excedant.

CCCLX. *Justitia Dei judiciaria* versatur primo circa ipsum *Judicium* , quod Deus de actionibus creaturarum rationalium fovet , *dijudicando* , an illæ *Legi conformes* sint nec ne , & ex hoc principio eas vel *præmis* vel *pœnis* dignas declarando. Et hactenus exercitium *Justitiae Dei* est immutabile.

CCCLXI.

CCCLXI. Accedit Executio hujus sententiae, quæ consistit in *actuali remuneratione* bene & pœna male actorum, quam duplicem remunerationis speciem sub *Amoris ac Iræ divine* nominibus antiqui jam solebant exprimere, nullos *mutabiles affectus* Deo tribuentes, sed potius sub eorum umbra ipsum *voluntatis divinæ immutabilem actum* designantes.

CCCLXII. De remunerationis divinæ priori parte ejusque certitudine nemo dubitat. Sed de secundo disceptatur: *An exercitium justitiæ vindicativæ ita sit necessarium, ut Deus ab ejus demonstratione supercedere nequeat?*

CCCLXIII. Licet hæc quæstio otiosa sit, quando aliunde constat, quid Deus agere velit, id tamen *Rationi* abunde constat, quod demonstratio justitiæ divinæ per pœnam peccati tam necessaria sit, quam æqua est pœna in Lege dictata, quam necessarium est, ut sua Legi majestas ac veritas constet, atque quam impossibile est per Sanctitatem Dei, ut communionem habeat cum peccatore, & ut consequenter peccator non sit miser. Interea Sufficientiæ Dei, annon *temperamentum aliquod pœnæ promeritæ invenire queat*, nullos limites ponere Ratio audet.

CCCLXIV. Exercitio huic *justitiæ puni-*

nitivæ non repugnat Patientia, qua Deus peccatorem tolerat, ad Libertatis suæ demonstrationem, peccatoris convictionem, aut forte alios fines sublimiores, quos Ratio ignorat.

VERITAS SEU VERACITAS DEI.

CCCLXV. *Veritatem Dei quando inter virtutes ejus relativas adnumeramus, in sensu morali intelligimus, quatenus illis signis inest, per quæ se aut alias res creaturæ cognoscendas præbet, quando nempe illa signa cum rebus, quas significare debent, ita accurate convenient, ut nulla inde justa erroris ansa creaturæ præbeatur; id quod etiam in sensu strictiori Veritas Dei dicitur.*

CCCLXVI. *Exemplum hujus Veracitatis præbet ipsum Rationis lumen a Deo accensum tum per semina veri menti indita, tum per legitimum sensuum usum. Unde si quid præterea Deus revelare volet, inde nihil aliud exspectare potest.*

CCCLXVII. *Persuasa enim est, Deum non posse falli propter suam omniscientiam; nec fallere, quia id Sanctitati, Bonitati & Perfectioni ejus est contrarium, nec non, quia id si contingere posset, omnia Religionis ac pietatis fundamenta everterentur.*

MA-

MAJESTAS DEI.

CCCLXVIII. *Majestatem Deo qui trid
buit, ille revera omnium perfectionum di
vinarum tam essentialium, quam relativa
rum, quibus undique major est omni
bus creaturis, ipsoque conceptu nostro,
complexum dicit. Sed cum illa Regibus sit
propria, translato inde nomine speciatim
designatur fulgentissimum perfectionum,
quæ in Regno Dei radiant, jubar.*



THEO-

THEOLOGIÆ
NATURALIS
PARS POSTERIOR
DE CULTU DEI
CAPUT I.

DE FUNDAMENTO CULTUS DIVINI.

CCCLXIX. Posteaquam prævia Ratione ad aliquam *Dei cognitionem* pervenimus, prima nostra cura in eo versari debet, ut solidum ex hac cognitione fructum decerpamus, atque ita per hanc cognitionem non solum *doctiores* sed etiam *meliores* evadamus, id quod ex naturali illo vinculo fluit, quod inter intellectum & voluntatem nostram positum esse deprehendimus.

CCCLXX. Exiguus interea erit, qui ad nos ex tota hac meditatione redabit, fructus, nisi per cognitionem Dei ad ejus propiorem *communionem* perducamur.

CCCLXXI. Ad illam autem nulla alia pan-

DE FUNDAMENTO CULTUS &c. III

panditur via , quam per *Cultum Dei* , per quem *honorem illum Deo damus* , quam a creaturis rationalibus exspectat ; quia hoc solum pacto attingit *Finem* , cur extra se aliquid produxit , & in creatura sua , tanquam se digna , *sibi complacere atque acquiescere* potest.

CCCLXXII. Cum autem cultus ille diversimode instituatur , nec tamen nisi *una ratione* cultus , quem Deo ferimus , ei placere queat , nihil magis curæ nobis esse debet , quam *primo* diligenter inquirere , quænam sit *vera Deum colendi ratio* ; & *deinde* secundum eam rite nostras *actiones compонere*.

CCCLXXIII. Ad perdiscendam veram cultus Dei rationem duo potissimum requiruntur , primo ut *principia officiorum* ad cultum Dei spectantium excutiantur , deinde ut *officia omnia & singula* inde promanantia cum *sanctione sua* , quæ duo *obligationis argumentum* constituunt , percenseantur.

CCCLXXIV. *Principia* , unde omnia officia cultus divini fluunt , duo sunt . *Remotius* est firmum ac certum omnis *obligationis fundamentum* ; *proximum* est *Lex ex illa obligatione fluens* , & in *normam officiorum data*.

CCCLXXV. *Fundamentum obligationis*
ad



112 DE FUNDAMENTO

ad colendum Deum potissimum & proprium
est *Relatio inter Deum & hominem* natura-
lis, quam talem esse, qualis est inter caus-
am & effectum §. 326. vidimus.

CCCLXXVI. Nam licet ipsa summa *Dei*
Perfectio, ad essentiam ejus spectans, in se
considerata illum *admiratione* ac *celebratio-*
nē dignum præstet, id solum tamen me ad
ejus cultum obstringere non posset, nisi ac-
cederet, quod eum tanquam summam at-
que absolutam meæ existentiæ ac realitatis
omnis *Causam præteritam*, *præsentem* &
futuram considerare debeam.

CCCLXXVII. Fac enim, illum mei
causam non esse, sed me aut a me ipso, aut
alia causa a Deo non dependente esse, aut in
posterum meum esse ac bene esse exspectare
debere; *prius* me ab omni periculo propter
ejus cultum neglectum eximeret, *posteriorius*
ad illum alterum colendum determinaret.

CCCLXXVIII. Quamprimum autem
convictus sum, Deum absolutam meæ na-
turæ tam *quoad existentiam*, quam *quoad*
omnem perfectionem meam Causam esse, de
obligatione mea dubitare nequeo, sive eum
ut *Causam efficientem*, sive, quod cum eo
intime connexum est, ut *Causam finalem*
considerem.

CCCLXXIX. Si enim Deus est *Causa*
effi-

efficiens hominis quoad totum ejus *esse* & *porro esse*, tum dubitari nequit, quod *absolutus* sit ejus *Dominus*. Quare omnia argumenta, quæ supra sunt allata ad probandum tum *dependentiam* hominis in genere, tum speciatim *dependentiam* ejus a *Deo*, idque tam quoad caussam *existentiæ primæ* §. 248 seq. quam quoad caussam *existentiæ continuatæ* §. 277. seq. hic recapitulari possunt, ut totidem argumenta supremi Dei *Dominii*. A quo enim homo absolute, secundum omnia *dependet physice*, ab eo proculdubio æque absolute *dependebit moraliter*, id est, ad obediendum ei erit obligatus. Sine quo nec *esse* nec *agere* quicquam potest, secundum ejus voluntatem *esse* & *agere* debet, quia ejus est absolutum peculium, neque majus potest *proprietatis* aut *possessionis* jus vel concipi. Sine quo nullius boni capax est, illum grato animo ut omnium beneficiorum fontem colere fas erit.

CCCLXXX. Idque eo magis, quia cujuscunque rei Deus *prima Caufsa* est, ejus etiam *ultimus Finis* necessario est, ut §. 329. seq. vidimus. Si ergo tam plenum jus habuit Deus se homini *in Finem præfigendi*, nec aliter per decentiam suam agere potuit, homini procul dubio incumbet, Deum pro tali agnoscere, quod absque cultu Dei fieri nequit.

H

CCCLXXXI.

CCCLXXXI. Accedit , quod Deus convenienter huic *Fini* nos creaverit, tales facultates homini donans , per quas non solum *idoneus* est redditus ad Finem illum attingendum : sed etiam tacito *impetu* ad illum *raptur*.

CCCLXXXII. Et primo quidem *capacitas Facultatum* hominis ita se habet , ut illarum singularum usus *ad præstandum Deo cultum*, tanquam Finem suum, conspiret. Unde non minus certo licet concludere , illas ad hunc Finem a Deo esse concessas , ac ex horologii conspirantibus in certo usu singulis partibus colligitur , hunc fuisse finem , quem Artifex ejus intendit.

CCCLXXXIII. Jam vero *Intellectus* capax est ad *objectum cultus* sui rite *agnoscendum* , tum per *Ideam ipsius Dei* , tum per quascunque aliarum rerum ideas , quas *Ideæ Dei* singularem in modum subordinatas esse , eamque illustrare animadvertisit.

CCCLXXXIV. In hac capacitatem admirabilis ratione conspirat *Voluntas* , quæ non solum idonea est ad rectum de Deo judicium ferendum , sed etiam ad illum amandum per suam spontaneitatem & naturalem ad id , quod sibi bonum esse deprehendit , propensionem.

CCCLXXXV. *Capacitas* hæc adhuc magis

gis intenditur per *Corpus* istud, quod secum unitum esse mens hominis sentit. Istud enim singularem in modum inservit *Intellectui* ad Deum agnoscendum per vestigia potentiae ac sapientiae divinæ, quæ tum in ipso corpore nostro, tum eo mediante in aliis corporibus nos circumiacentibus deprehenduntur. Nec minus juvat *Voluntatem* in amore Dei per ejus *celebrationem* exserendo, dum per istud, & signatim per linguae usum, quo omnibus reliquis animantibus præstat, *Gloriam Dei* aliis prædicare, eosque secum in cultu Dei adunire potest.

CCCLXXXVI. Consequentia hæc adhuc magis stringit, quando major illa *capacitatis mensura*, & præstantior facultatum usus in subsidium vocatur, qui secundum dicta §. 263. seq. in primo creationis ortu homini concessus est.

CCCLXXXVII. Majus est, quod homo non solum ad Finem hunc aptus sit, sed etiam per naturam suam, si duntaxat velit ei convenienter agere, tendat; quod inde patet, quia in nullam rem magis fertur, quam in suam perfectionem. Jam vero omnes & singulæ ejus facultates ita sunt compositæ, ut non nisi in cultu divino perfici queant, uti patebit, quando naturam sum-

mi Boni homini propositi infra proprius considerabimus. Quantum igitur in suam priam admittitur emergere perfectionem, tantum suavi vi, & vere amoris vinculis, pertrahitur ad cultum debitum Deo ferendum.

CCCLXXXVIII. Hinc patet, quod qui Deum negat, omnia fundamenta obligacionis tollat, quodque nulla lege constringi *Attheus*, nedum societati humanæ utilis esse, aut eam excolere possit.

CCCLXXXIX. Nihil etiam magis huic solido omnis obligationis fundamento contrariatur, quam impietas *Spinoſæ*, qui *Stoicorum* principium de obsequio *Naturæ* reconquens, inde deducit, quod unumquodque individuum *jus summum habeat ad omnia*, quæ potest; quod nulla detur hominis erga Deum obligatio: quod nemo ex mandato possit esse sapiens seu cognoscere Gloriam Dei: quod propterea liceat de Deo cogitare quæcunque: & quod omnis religio consequenter consistat tantum in justitia & amore erga proximum. Quæ singula ex apertis veritatis moralis fontibus facile destruuntur.

CCCXC. Nec seniora sunt, quæ sentit *Hobbesius*, dum unicuique *jus esse omnibus viis & modis se ipsum conservandi* pro *Juris naturalis summa* habet, neque adeo aliam obligationem agnoscit, quam qua unusquisque

que suum bonum *perversa philautia* quærit quod eo turpius, quia idem nullius *boni honesti*, sed tantum ad externa hujus vitæ commoda *utilis rationem* habet. Eos, qui in *Jure Gentium* aut *probabilitate*, aut naturæ *instinctu*, aut *pudore* aliquod principium posuere, non moramur.

CCCXCI. Sed & refutans Hobbesium *Cumberlandius* non satis caute pro fundamento obligationis posuit *Bonum Commune totius Naturæ*, dum non tantum male *totius Naturæ* ordini ipsum Deum includit, eique nimium adstringit, sed etiam æqualem hoc pacto facit obligationem ad omnia, quæ hanc naturæ *conveniencyæ* constituunt, quod creaturas ultra sortem suam evehit.

CCCXCII. Nec minus recentiores *Juris naturæ* instauratores a linea videntur aberare, quando leges ejus ex *Socialitate*, seu *Societatis appetitæ custodia* derivant.

CCCXCIII. Quamvis enim *Societas humana* certa requirat officia, ut rite custodiatur & fructus varii inde hauriantur, illa tamen pro primo Principio *Juris & Æqui* haberi nequit; quia Finis ultimus cujuscunque Legitimæ Societatis non est *privatum & externum singulorum commodum*, sed potius major *facilitas ad Gloriam Cultumque Dei* privatum ac publice promovenda. Un-

118 DE FUNDAMENTO &c.

de quid Societati conveniat, non potest dijudicari, nisi ex hoc Fine derivetur.

CCCXCIV. Adde quod leges *Juris Naturæ* longe latius se extendant, quam ut ex hoc principio deduci omnes queant, non solum quia ipsum Naturæ Jus obligat ad Deum colendum, etiamsi quis solus & extra omne commercium cum aliis hominibus projectus esset, sed etiam quia tot casus dantur, in quibus secunda Tabula primæ cedere debet, & quia occurunt talia, quæ *injusta* sunt natura sua, licet Societati nullum inde detrimentum accedat.

CCCXCV. Sed & egestatem ac siccitatem hujus fontis confitentur, quando distinguunt inter *Jus Naturæ præcipiens* ac *permittens*, per ultimum intelligentes potestatem libere agendi omnia, quæ per *jus naturæ præcipiens* definita non sunt.

CCCXCVI. Istud autem maxime hic perpendendum, quod tales Socialitatis leges, nisi ex altiori principio deriventur, in meram tandem *philautiam vitiosam*, sive emolumenti carnalis appetitum resolvantur. Quid enim aliud est *Societatis conservatio*, quam *utilitas publica*? Et nisi illa ad Gloriā Dei tendat, quisnam aliud ejus scopus singi potest, quam *privata uniuscujusque*, ut secundum *corpus bene ei sit, utilitas?*

CA-



C A P U T II.

DE NORMA CULTUS DIVINI
SEU LEGE DEI.

CCCXCVII. *C*ertum jam est, quod Deus coli velit. Unde nihil aliud potest exspectari, quam quod modum etiam, quo coli vult, revelaverit, quæ *Revelatio normæ seu Legis* vicem habet.

CCCXCVIII. *Lex* generatim spectata nihil aliud est, quam *clare expressa illius, qui aliis dominatur, voluntas de actionibus secundum ejus beneplacitum instituendis.*

CCCXCIX. Per *Legem Dei* adeoque intelligimus *normam seu regulam agendi a Deo traditam homini*, ut secundum illam *omnes actiones suas dirigens finem a Deo propositum attingat.*

CD. Tabula hujus Legis ipsa *Mens* est, quæ sola legis percipiendæ ac recipiendæ est capax, & quidem *finita*, quæ sola Legi potest subjici.

CDI. *Materiam ejus proxime conficit ipsum lumen Rationis, seu Conscientia, cuius jam supra mentionem fecimus: & quidem sigillatim primo Axiomata moralia, quæ*

120 DE NORMA CULTUS

statim ad primum intuitum ex Relatione
inter Deum & hominem profiliunt.

CDII. Nec tantum primæ veritates pro *Lege* sunt habendæ , sed etiam , quicquid per *justam Consequentiam* inde deducitur. Cum enim Deus vim ratiocinandi nobis de-
derit , illumque inter ipsas illas veritates ,
quas ratiocinando conjungimus , posuerit
nexum , ut non possimus eas disjungere , aut
judicare , quod inter se non sint conjunctæ ;
hinc quicquid per ratiocinationem illam a
nobis colligitur , pro ipsius Dei præscripto
habendum erit , cuius multifaria sapientia
in eo ipso elucet , quod quasdam veritates
per simplicem intuitum , quasdam per la-
boriosam magis Ratiocinationem a me in-
telligi voluerit.

CDIII. Sed id quoque certum est , quod
præter has *Leges* , quas *naturales* vocamus ,
Deus pro libitu alias possit addere , quæ
positivæ dicuntur. Et licet soli Rationi de
illis nihil constet , cum *specialem Revelatio-*
nem requirant , promta tamen est ad illas
recipiendas , quando de *divina earum ori-*
gine secura esse potest.

CDIV. *Formam Legis* , unde vim obli-
gandi accipit , constituit ejus tum *Sanctitas* ,
tum *Æquitas*. *Sanctitatem* spirat , quando
convenit cum *natura Dei* , & *Fine* , quem
sibi

sibi in omnibus operibus proposuit, sive, quod coincidit, cum Sanctitate Dei, quæ omnis Sanctitatis & Perfectionis moralis exemplar est. Æquitatem lex possidet, quando convenit cum natura hominis, ita ut non solum eam in recto facultatum suarum usu adimplere valeat, nisi forte propria culpa eo sit privatus, sed etiam per ejus implementum perficiatur.

CDV. Cum autem ex propriis inspectis præceptis Legis divinæ constet, quod illa ita se habeat, hinc consideratio hæc facit, ut non per cœcam quandam obedientiam, aut inviti, sed rationali modo ac lubentes Legi divinæ subjiciamur.

CDVI. Objectum Legis divinæ generale est ille homo, exclusis brutis, cujus cordi est inscripta. Cumque eadem omnium hominum sit natura, non dubitandum, quod in omnibus eadem vestigia hujus Legis deprehendantur. Cui etiam favet universalis gentium de principiis honesti & turpis, virtutis & vitii consensus. Unde impie ab Hobbesio ignorantibus excusantur.

CDVII. Neque nos morari debet prætensus aliquarum gentium diffensus, qui neque est in omnibus, neque pro reali diffensu, sed potius pro stupore barbaræ indolis habendus, neque propter naturæ humanæ deprava-

122 DE NORMA CULTUS

vationem tolli potest, cum apud moratores etiam multæ claræ consequentiæ ex vi-
tio ratiocinationis non apprehendantur.

CDVIII. In homine Lex proprie tantum dicta est *Voluntati*, quæ sola ejus pure *acti-va* ac *libera* facultas est, & non solum *Affectionibus animi membrisque Corporis* domi-
natur, sed etiam ipsum *Intellectum* mode-
ratur.

CDIX. Quam late autem se extendit *actuositas* ac *Regimen Voluntatis*, tam late quoque Lex Dei diffusa est. Cum enim Deo competat Dominium absolutissimum in hominem, qui secundum omnia a Deo de-
pendet; hinc lex quoque ejus tam late pa-
set, ut nulla esse possit *actio*, quæ ab hac Lege exempta sit.

CDX. Cum enim actiones hæ secundum subjecta agentia sint vel *imperfectæ* quædam *velleitates*, vel *perfectæ volitiones*, ne illas quidem huic *normæ* subtrahere licet, quia quicquid vel minima inclinatione ab illa recedit, *imperfectionis moralis* adeoque vi-
tii naturam induit.

CDXI. Sed & pro *objectorum varietate* quasdam actiones tamquam Lege præceptas ac *necessarias*, alias tanquam *indifferentes* quidam considerari volunt. Verum sicuti omnes actiones *physice* consideratae aliquid in-

indifferentiæ adjunctum habent, ita *moraliter* eas spectando nulla actio creaturæ rationalis est *indifferens*, quia quotiescumque *sine ratione* agit, toties *contra eam agere* censenda est; cum agens *sine ratione* nullum etiam *finem* habeat, adeoque a brutis nihil differat, impetu non *agentibus*, sed *actis*.

CDXII. Rationis ergo usus etiam tum requiritur, cum judicium occupatum est in *optione* circa duas actiones, quæ utræque parem videntur ad Finem summum, seu Gloriam Dei, aptitudinem habere, quia tum Ratio dictabit aut examinare accuratius, quid magis eo spectare videatur, aut, quod magis præ manibus est, arripere.

CDXIII. Non multum differt distinctio inter *Legem & Consilium*, eodem modo exigenda, quia *Consilium* nequit habere locum absque adhibita in medium *Ratione*; quæ quando *utiliora, salubriora*, magis perfectionem moralem hominis promoventia, suadet, quis tale *Consilium* non agnosceret Legis vicem habere?

CDXIV. *Lex* in genere spectata est *immutable*. Id fluit ex immutabilitate tum *Sapientiae & Sanctitatis divinæ*, cuius exemplum Lex est, & secundum quam Deus non potest non velle, ut creatura rationalis eum

colat & glorificet, tum Relationis inter Deum & creaturam, cum haec semper dependens a Deo per actus Providentiae divinæ circa illam maneat, & in eundem Finem conservetur.

CDXV. Immutabilis haec non solum quoad totum Legis complexum, sed etiam quoad singula ejus *præcepta*, non exceptis *minimis*, agnoscenda est, non solum quia singula *præcepta* ex eodem principio fluunt, ex quo tota Lex derivatur, sed etiam quia commune aliquod inter illa *præcepta* vinculum est, ita ut nemo vel unum queat rite servare, qui non propositum habeat servandi omnia, unoque neglecto omnia fracta sint.

CDXVI. Nihilominus accidente nova quadam relatione, verbi gratia, quando creatura per peccatum corrupta est, singularia quædam officia huic statui congrua inde oriri possunt, quæ nempe spectantur ut *media*, sive quibus malitia hominum frænatur, sive quibus intercedente consilio Dei homo in communionem cum Deo restituitur.

CDXVII. Duo autem sunt *præceptorum*, ex quibus Lex constat, genera. Sunt enim aut *affirmativa*, actiones ad cultum Dei pertinentes præscribentia, aut *negativa* contrarium prohibentia; quod posterius natu-
ram

ram hominis aut labilem aut corruptam superponit. Unum tamen semper alterum involvit.

C A P U T III.

DE MODO CULTUS DIVINI , SEU
OFFICIIS PRÆSTANDIS.

CDXVIII. **C**um multiplices sint voluntatis , in quas ad singula momenta se vertit , actiones , hinc magnus nascitur præceptorum , ex quibus Lex constat , numerus , quæ in scientia morali solent *Officia seu Virtutes nominari*.

CDXIX. Inter hæc nomina id discriminis intercedit , ut actio quæcumque , quantum a Deo præscribitur , *Officium* , quantum ab homine præstatur , *Virtus* dicatur.

CDXX. Missis ergo quibuscumque fallis & incommodis definitionibus ac divisionibus , per *Officium* intelligimus quamcumque *actionem Lege Dei præscriptam* , per *Virtutem* autem propositum voluntatis secundum *Legem Dei agendi*.

CDXXI. *Officia* hæc sunt aut *universalia* aut *particularia*. Priora Ethici nominant *Virtutes cardinales* , per quas intelliguntur tales , in quibus cardo rei vertitur , id est , quæ suam *Virtuti* & actioni virtuosæ

fors

forman dant, & ab officio quoconque inseparabiles sunt. *Particularia autem Of-*
ficia sunt, quæ ab invicem separari pos-
 sunt.

VIRTUTES CARDINALES.

CDXXII. *Virtutum cardinalium catalo-*
gus varie a variis exhibetur. Nos ad tres
illas referimus, quæ sunt Humilitas, Si-
ceritas & Simplicitas.

CDXXIII. *Humilitas consistit in sum-*
mæ Dei ὑπεροχῆς propriaque a Deo depen-
dentiæ agnitione, adeoque facit, ut singu-
læ actiones virtuosæ ex vero Principio
deriventur.

CDXXIV. *Sinceritas consistit in intimo*
& efficaci Voluntatis proposito nonnisi Legi
divinæ conformiter secundum omnes par-
tes agendi, adeoque efficit, ut secundum
veram Normam actio procedat. Hæc sub
se istas comprehendit, quæ alias Diligentia,
Obedientia & Iustitia dicuntur. Formale
enim hujus propositi est Obedientia, quam
qui sincere sibi proponit præstare, ille pri-
mo curat sensum Legis rite perspectum ha-
bere, in quo consistit Diligentia, & quan-
do de eo clare atque indubitate constat,
accurata huic Normæ adhæret, ita ut nec
plus,

*plus, nec minus velit facere, quod solent
Justitiam appellitare.*

CDXXV. *Simplicitas id vult, ut quis
per suam actionem nullum alium fructum
quærat, quam Deo placere & ad ejus glo-
riam esse, ita ut per hanc virtutem actio
debitum Finem nanciscatur.*

VIRTUTES PARTICULARES.

CDXXVI. *Virtutes particulares arboris
instar inter se cohærent, quæ ex una radi-
ce diversos paulatim stolones atque ramos,
unum post alterum, protrudit.*

CDXXVII. *Genus ergo, sub quo omnia
specialiora Officia continentur, & ex quo
tanquam radice sua evolvuntur, est Amor
Rationalis.*

CDXXVIII. *Cum enim actio maxime
essentialis Voluntatis, quæque omnibus re-
liquis quasi dominatur, sit Amor, quia
ipsum velle proprie nihil aliud est, quam
amare, & voluntas revera nihil, nisi ex
principio Amoris agit, hinc sequitur, quan-
do illa capitalis voluntatis actio recte se ha-
bet, quod tum radix bona adsit, ex qua
omnes boni fructus oriuntur.*

CDXXIX. *Amor est Unio cum objecto,
quod tanquam Bonum obversatur, idque
non*

non tantum in se , sed etiam in *relatione ad amantem* , quæ duo sibi invicem semper sunt innexa.

CDXXX. *Unio* proprie requirit talia *subjecta* , quæ eam inter se habent *analogiam & similitudinem* , ut communionem secum invicem habere queant : & quo *major* illa est similitudo , eo *arctior* inde oritur *unio*.

CDXXXI. Præterea omnis *unio* est *reciproca* , quæ tantum *objecto* dat , quantum *accipit* , aut vice versa tantum *accipit* , quantum *dat* . Hæc enim pro natura *subjecti* variant. Si enim *subjectum* majus aut par est , solet dari quod *accipitur* , si minus tum primo *acciendum* & deinde reddendum est.

CDXXXII. Ex hoc vero *Amoris* conceptu patet , quod *Amor benevolentiae* , *beneficentiae* , *fruitionis* , *acquiescentiae* , *obedientiae* aut quocunque nomine veniat nihil sint nisi diversi *unionis* , pro natura *subjecti* & *objecti* , modi.

CDXXXIII. Ex dictis sequitur *Amorem rationalem* esse , qui ita fertur in *objectum idoneum* , ut quis debito *more* , id est , *convenienter cum natura ejus* *unionem* *cum eo instituat*.

CDXXXIV. *Objectum idoneum* est tale , quod vere *Bonum* est , sive quod non solum
præ-

præstantia vera pollet, sed etiam naturam nostram perficit, quodque eam nobiscum habet *similitudinem*, ut nihil obstet, quo minus unio cum eo sperari atque iniri possit.

CDXXXV. *Debitus autem modus unionis involvit, non solum, ut objectum istud, quoad fieri potest, possidere & per hanc possessionem perfici admittamus, sed etiam ut id, quod ab eo accipimus, grato animo ei reddamus, adeoque ejus, quod nobis in Bonum est, quoad fieri per nos potest, Bonum promovere studeamus.*

CDXXXVI. *Proximum Amoris objectum sibi ipsi est, qui sufficiens in se Bonum inventit, unde in se ipso acquiescere, suumque Bonum conservare unice tenetur. Atque haec vera est ratio Amoris, quo Deus se ipsum quasi amplectitur ac possidet.*

CDXXXVII. *Sed aliter plane se habet Mens finita, quæ sibi ipsi non sufficit, adeoque licet sui rationem non negligat, in se sola subsistere nequit, sed Perfectionem suam extra se querere deberet, idque in variis objectis diversimode, secundum varias in quibus cum illis objectis constituta est relationes.*

CDXXXVIII. *Relationes illæ spectari possunt vel ut physicæ vel ut morales, qua-*

rum illæ *vinculum* aliquod *naturale* designant, quod *Officiorum* circa *objecta fundamentum* est; hæ vero ipsa *Officia Amoris* secundum diversos gradus exercenda involvunt.

CDXXXIX. *Relationes morales* ad duo genera referri possunt. Aut enim versantur circa *objectum*, quod tanquam *Finem nostrum* consideramus, quod est solus Deus, aut circa *objecta*, quæ obversantur ut *media* ad *Finem illum ducentia*, qualia sunt *creatüræ*, præsertim *rationales*, circa quas proprie tantum *Amor* locum habet, & quæ natura sua solum aptæ sunt ad *Gloriam Deo ferendam*. Hæc vero proxima est *relatio illa*, quam *ad nos ipsos* habemus, remotior, quam *ad alios homines*.

A M O R D E I .

CDXL. Licet ergo naturali quodam instinctu in seipsum Voluntas nostra feratur, sibi bene velit, contra Rationem tamen se acturam animadvertisit, si in se subsisteret. Quid enim in se amaret, quæ sibi relicta nihil amabile in se invenit? Aut quid a se exspectaret, quæ sibi nihil dare potest?

CDXLI. Fas adeoque est, ut extra se cir-

circumspiciat, & inquirat, quodnam illud sit, quod non solum summa Perfectione præstat, sed in quod etiam rationaliter tendere ad sui Perfectionem potest. Quod, cum omnes creature eadem laborare indigentia experiantur, non nisi in Deo inventit.

CDXLII. Hic in *idoneum Amoris sui objectum* incidit, *tum quia nihil præstantius est Ente summe perfecto, tum quia in Deo invenit, quicquid naturam suam perficere potest; idque eo magis quia similitudinem quandam inter se & Deum deprehendit non tantum per *essentiam spiritualem*, sed etiam per illam ipsam Voluntatis ad Deum elevationem, per quam jam incipit Legi ejus conformari, atque *exemplar Sanctitatis ejus* exprimere.*

CDXLIII. Ita se allectam sentit Voluntas ad Deum *primo summoque veri nominis Amore* amplectendum, qui quomodo se habeat, ex generali *amoris*, quam dedimus, definitione, facile deduci potest.

CDXIV. *Amor nempe Dei* nihil aliud est quam *unio cum Deo per efficacem Voluntatis propensionem ea fini*, ut & per ejus possessionem summi Boni compotes facti cum glorificemus.

CDXLV. Ex hac reciprocæ unionis in
I 2 Amore

Amore Dei idea, per quam omne, quod accipitur, Deo redditur, patet, quam arcta intentio Boni proprii in Amore Dei conspiret cum intentione Glorie Dei, & quomodo licet illud sit *Finis subordinatus*, hæc tamen maneat *Finis ultimus*, uti esse debet. Unde sequitur, quod qui ita Deum amat, in omni emphasi eum colat ac celebret. Quæ recte observata quascunque *pseudo-mysticorum strophas* & inaniter ab illis inventos amoris Dei gradus facile destruent.

CDXLVI. Per se jam liquet, hunc Dei Amorem primum locum occupare. Quamvis enim videatur certa ratione *Amor proprius* antecedere *Amorem Dei*, quia Bonum aliquod querendo, quod nos perficiat, in Deum incidimus; ille tamen potius pro instinctu quodam naturæ, quo creatura sibi non sufficiens querit objectum, quod amet, quam veri nominis *Amore unionis* habendus erit. Qui se antea amat *Amore unionis*, quam Amorem Dei in se deprehendit, *sui ipsius est indololatra*.

CDXLVII. Porro patescit, Amorem hic summum requiri, quia Deus est objectum summe amabile. Ad summum autem Amorem pertinet ejus universalitas, eaque tum objectiva, tum subjectiva. Universalitatem Amoris divini objectivam in eo ponimus, quod

ROMA

quod ille ad *omnia cognoscibilia Dei* extendi debeat. Nihil Ratio in Deo invenit, quod non sit summe *amabile*, non tantum *in se*, sed etiam *in relatione* ad creaturam rationalem. *Universalitas subjectiva* complectitur, ut *ex toto corde*, *ex tota anima & ex omnibus viribus* ametur, sive quod eodem recidit, ut *omnes facultates mentis* in hoc Amore sint occupatae, & ut per *omnes actiones* tam *internas*, quam *externas* ille demonstretur.

CDXLVIII. Primo ergo Voluntati Deum amanti incumbit, omnes facultates Mentis & Corporis ad arctiorem & constantissimam cum Deo unionem ejusque fruitionem magis magisque idoneas reddere: quod faciet, quando *Deo similior* paulatim evadere contendet.

CDLXIX. Eum ergo in finem contendit *Cognitionem Intellectus* sui ulterius promovere, & quidem ita, ut eosque querat penetrare, quo usque Deus se voluit cognoscendum præbere. Huc autem pertinet, ut non solum *Essentia & Perfectiones Dei*, sed, etiam *Opera* ejus, in quibus *vestigia Virtutum* ejus deprehenduntur, in relatione ad Deum cognoscantur. Quare proxime post Deum in *meipsum* debo converti, & istud *γνῶθι σεαυτὸν*, quod Ratio

gentiles docuit *de cœlo descendisse*, alte meditari: deinceps in theatrum totius Universi exspatiari, rerumque caussas, ordinem ac finem inquirendo, ubique nova Deum admirandi ac celebrandi incitamenta conquirere.

CDL. Hoc licet proprie *Intellectum* occupet, Voluntas tamen Deum amans illum identidem ad id excitare debet, eique modum præscribere, quo in penitorem Dei Cognitionem contemplando pertingere potest; id quod sine singulari *diligentia*, attentione atque *mora* fieri non potest, quam tamen, qui sincere amat, lubentissime impendit.

CDLI. Sed quia *res solliciti plena timoris amor*, hinc noster *Theophilus* præcipue invigilat *Judicio*, ne istud per *Prajudicia* in errorem rapiatur, sed ut istud recte res cognitas estimet, æquaque lance earum pondera trutinans in Deo solo esse summam originem & exemplar omnis veritatis & bonitatis agnoscat, atque ad hanc *normam* omnes conceptus exigat, quin de *pretio omnium creaturarum* pronunciet.

CDLII. Se quoque ipsam Voluntas, per *Intellectum & Judicium*, quod ita salubriter direxit, reciproce adjuta, in unione cum Deo confirmare eamque promovere contendit,

dit, dum secundum Voluntatem divinam se conformare, idem cum Deo velle, idem nolle adfuescit.

CDLIII. Ne autem in hoc proposito per Affectus turbetur, illos ita frenare quærit, ut imperio Rationis audientes sint, neque antea se præcipitent, quam Voluntas maturo judicio objecta subjicit; utque secundum illud Judicium ita procedant, ne unquam plus vel minus commoveantur, quam natura objectorum requirit. Unde per se fluit, quod nusquam magis excitati esse debeant, quam ubi circa Deum versantur. Heic Amor illis alas addit, ut nihil plus admirantur, quam Dei infinitatem, nihil intensius desiderent sperantque, quam ejus communionem, in nulla re magis lætentur, quam in ejus favore, nihil magis horreant timantque, quam quo ille lædatur.

CDLIV. Et cum Corpus sibi in hunc finem datum esse mens comperiat, ut per istud etiam tanquam per instrumentum Deum glorificet, ea propter ei debita alimenta & laxamenta non denegat, idque secundum illas Temperantiae Leges, per quas maxime ejus sanitas & robur conservari potest.

CDLV. Pro modulo capacitatis suæ Voluntas frequentibus & competentibus actionibus-



nibus Amorem suum erga Deum comprobatur. Nihil enim magis impium est, quam cum Loyolitis, turpissimis moralis scientiae corruptoribus, afferere, quod Deus amari possit, etiamsi nullus unquam divini amoris actus edatur.

CDLVI. Nec minus absurde Amor secernitur in *affectivum & effectivum*, quasi affectus sincerus esse possit sine effectu, aut effectus bonus esse queat, qui ex corrupta radice proficiscitur.

CDLVII. Actiones hæ sub communi *Celebrationis* Dei nomine continentur, quæ aut *interne*, aut *externe* fit.

CDLVIII. *Interne* Deus celebratur per ipsam illam facultatum naturalium ad similitudinem Dei compositionem. Qui enim querit *Imagini Dei* constanter conformari, ille ei actu hunc honorem dat, ut illum tanquam absolutissimum omnis perfectionis exemplar consideret.

CDLIX. Sigillatim hoc spectant illæ actiones, per quas ad proprius cum *Deo commercium* anima se elevat, quales sunt frequentes de Perfectionibus Dei *Meditationes, Preces & Eucharistia*, nec non præsentiaæ divinæ profunda *Reverentia*, per quam *Vigilantia* procreatur in omnes actiones, ne quid in illis ocurrat, quod Præsentis ejus fa-

favoris sensum diminuere queat.

CDLX. *Celebratio externa directe fit per omnia officia cultus externi & sigillatim per usum linguae, quando illa Virtutes Dei aliis enarrat: indirecte vero huc spectant quæcunque actiones virtuosæ, quibus secundum Legis ejus præscriptum vivere contendimus.*

CDLXI. Cum autem ad has actiones quoque pertineant omnia Officia, quæ circa nos ipsos & Proximum observamus, hinc liquet, quod *Amor Dei* radix sit, in qua *Amor nostri & proximi*, licet ab eo distinguuntur, jam actu tanquam duo speciales rami continentur.

AMOR NOSTRI.

CDLXII. Secundum generalem, quam dedimus, Amoris ideam, *Amor nostri* est actus ille Voluntatis, quo nobiscum ipsis unimur seu conspiramus, id quod tum sit, quando in eo statu esse querimus, aut sumus, ut nos ipsos per rectam facultatum partiumque nostrarum constitutionem quasi plene possideamus, atque ex hoc fundamento in nobis *acquiescere*, nosque beatos censere ac prædicare valeamus.

CDLXIII. Amor hic necessaria supponit
I 5 *Amorem*



Amorem Dei, tum quia scopus, cur in tali statu esse quæramus, est, quoniam hoc pacto demum apti sumus ad Gloriam Dei, tum quia id, quocum nostra voluntas se in nobis unit, quod promovet, quod approbat, nihil est, nisi similitudo Dei in mente nostra expressa.

CDLXIV. Sed & ulterius ad rei fundum penetrantes deprehendimus *Amorem nostri* esse ipsissimum *Amorem Dei*, quocum uniri querimus & uniti sumus; quia Amor nostri nulla plane nova particularia Officia involvit, quæ non tanquam ad Amorem Dei pertinentia jam recensuimus.

CDLXV. Nam Officia, per quæ *Amor nostri* demonstratur, procul dubio eo tendunt, ut *nostram Perfectionem* omni modo urgeamus. Illa autem Perfectio in nulla alia re consistit, quam in tali rectitudine omnium nostrarum facultatum & partium, qualis requiritur, ut Finem, ad quem conditi sumus, attingamus, id est, ut ad Gloriam Dei simus.

CDLXVI. Inde autem Ratio nostra addicit, quam prudenter summus Legislator, cum omnia officia ad duas tabulas, *amoris Dei & proximi*, revocaret, non opus duxerit, amoris proprii ullam mentionem separatim facere.

AMOR

AMOR PROXIMI.

CDLXVII. In *Amore Dei Amorem* quoque *Proximi* contineri eadem data Amoris definitio docet. Si *objecrum Amoris Amore rationali dignum esse* debet, nulla creatura Amore digna est *per se*, quia nullam in se & a se realitatem possidet, adeoque eatenus tantum amanda, quatenus vestigia quædam *Perfectionis divinæ ostendit*, aut ostendere *idonea esse* vel fieri potest. Si actus unionis in Amore ab *objeto aliquid Boni expectat*, quid Boni a *creatura expectabit extra Deum?* aut si aliquid Boni *in eam vult conferri*, quomodo id præstabit, nisi in *Veri Boni*, quod in solo Deo est, communionem eam perducendo?

CDLXVIII. Verus ergo *Amor Proximi* est ille *actus Voluntatis nostræ*, quo nos cum eo ad *Gloriam Dei unire contendimus.*

CDLXIX. Ad hunc Amorem obligor primario per *Amorem Dei*. Ille me enim debet incitare, ut alios mecum ad glorificandum Deum conjungam, præcipue tales, quos Deus non solum ejusdem naturæ mecum compotes fecit, sed & communi sanguinis vinculo conjunxit. Obligor etiam per *Amorem proprium*, quia quam aliis incitationem ad glorificandum Deum do, ab il-

illis quoque exspectare possum.

CDLXX. Sed ordo bene est observandus. Amor proximi subordinatus est *Amori Dei & proprio*, priori *absolute*, posteriori *limitate*, ita ut animam quidem propriam anteferam animæ proximi, sed tamen animam proximi corpori meo.

CDLXXI. *Officia specialia*, in quæ hic Amor Proximi se diffundit, sunt tum *generalia* seu *absoluta*, tum *specialia* seu *hypothetica*.

CDLXXII. Priora sunt, quæ Proximo, in quocunque statu ille sit, debentur, & eos spectant, ut omne *Bonum* possibile, primo *animi*, deinde etiam propter animum *corporis*, Proximo *procuretur*, & omne *malum* oppositum *avertatur*.

CDLXXIII. *Mentis* hic partes sunt, *benevolentia* erga proximum impletum esse, *precibus* apud Deum pro eo intercedere, *similes* cum eo *affectus* induere, cum gaudiente lætari, cum dolente contristari.

CDLXXIV. In externis proximo constanter debetur *Veracitas*, ita ut omnia externa signa mentis, *verba*, *gestus*, *facta* cognitionibus sint conformia, quia *Veracitas* est pars Imaginis Dei, nec ullum alium in finem Deus facultatem hominibus per *signa mentem* suam exprimendi dedit, neque com-

commercium inter homines alias stare posset.
Unde etiam in magno periculo meo aut Proxi-
mi *Veracitas* non est lædenda , tum quia
Amor utriusque cedere debet Amori Dei ,
tum quia salus generis humani , quæ in
conservatione *Veritatis* sita est , præstat
saluti singulorum.

CDLXXV. Speciatim *verbis* Proximus
hortandus , informandus , ad célébrationem
Dei incitandus ; factis vaira *humanitatis* offi-
cia exhibenda , præcipue in omnibus ne-
cessitatibus , secundum communem illam
regulam : *Quod tibi vis fieri , alteri feceris.*

CDLXXVI. Habet tamen *Amor Proximi*
suos gradus secundum varias *Relationes* , quæ
mihi cum eo intercedunt , unde nascuntur
Officia hypothetica. Sunt autem illæ *Rela-*
tiones triplicis generis , aut naturales , aut
acquisitæ , aut ex utrisque mixtæ.

CDLXXVII. *Relatio naturalis* gignitur
per originem hominum ex uno *sanguine* ,
unde quo proprietor *sanguinis* est cognatio , eo
arctior intercedit *relatio* , idque tum in
statu impari , tum in *statu pari*.

CDLXXVIII. Prima *Relatio* occurrit
in *statu impari*. Talis est inter *Parentes &*
liberos. *Parentum Officia* hic per naturam
suam præcedunt *Officia liberorum*. Illis ergo
primo loco incumbit per sedulam *educatio-*
nem

nem liberos secum ad Gloriam Dei unire.
Ut autem hunc fineis attingant, a liberis
quoque illis præstari debet *Amor conjun-*
citus cum Reverentia, atque *Obedientia*,
quatenus Parentes illi sunt, per quos Deus
primo Voluntatem suam liberis patefecit.

CDLXXIX. Proxime post *Parentes* ob-
ligati sumus *fratribus & sororibus*, aliisque
cognatis in linea collateralı nobiscum con-
stitutis, circa quos major familiaritas, quam
nobis propinquitas conciliat, ad eorum fa-
lutem operandi viam aperit.

CDLXXX. *Relationes acquisitæ* sunt
omnes *Relationes civiles*, eaque iterum
aut in *statu impari*, qualis est in *Republiea*
inter *Magistratus & subditos*, & in *vita*
privata inter *Præceptores & discipulos*,
Heros & servos; aut in *statu pari* inter
amicos aut hostes.

CDLXXXI. *Relatio* inter *Magistratus*
& *subditos* orta est ex plurium hominum &
familiarum in unam *Societatem* coalitione
ad communem securitatem, adeoque pro-
fine proximo habet *tranquillitatem publicam*,
& pro fine ultimo, ut tranquille viventes
eo melius ad *Cultum Dei* se unire queant.

CDLXXXII. Ea propter a *Magistrati-*
bis exspectatur tum *Legum administratio*,
sive eas inveniant, sive ipsi ferant, aut a
Re.

Republica accipient exequendas , idque partim *exemplum*, partim *authoritate*; tum *defensio subditorum*, cuius caussa *justa* quoque *bella* in statu corrupto aliquando gerenda & scelerati pœnis afficiendi sunt.

CDLXXXIII. *Subditorum autem officium est pro salute Magistratus orare*, nec non *Reverentiam & Obedientiam præstare*, eamque tum *activam*, idque secundum *imites per Amorem Dei omni Obsequio humano positos*; tum quandoque etiam *passivam*, propter *conscientiam*.

CDLXXXIV. Relatio inter *Præceptores & discipulos* præter illa, quæ cum officiis Parentum ac liberorum communia sunt, requirit, ut nemo *Magistri* partes fuscipiat, nisi, qui ad docendum alios est idoneus, utque qui alios docet, diligentiam ac fidelitatem adhibeat; & ab altera parte, ut animis adhibeatur *docilis*, absque jamento tamen in verba *Magistri*.

CDLXXXV. Relatio inter *Heros & servos* magis ad statum hominis *courruptum* quam *integrum* spectat: & cum omnes homines a natura pari libertate gaudeant, ex parte potissimum nascitur , cui utraque pars conformiter agere debet.

CDLXXXVI. *Amicitia inter pares est vel privata vel publica*. Privata per communitatem

nem inter privatos consuetudinem ex affectionum, morum, studiorum æqualitate ortam coalescit. Hujus amicitiae jura sancta & inviolata esse debere Philosophi veteres passim studiose inculcant.

CDLXXXVII. *Publica* est inter concives, non exclusis tamen etiam in suo gradu peregrinis. Utrique iterum secundum varias circumstantias considerari possunt, vel ut ætate maiores, pares & minores, vel ut divites & pauperes, & ita porro, quæ singula requirunt talia Officia, quæ Amorem eorum provocare, nontraque circa illos studia ad communem finem, qui est Dei honor, utilia reddere possunt.

CDLXXXVIII. Generaliora, quæ civilem amicitiam conservare queunt, sunt Officia observanda tum circa Functionem, quam unusquisque tales eligere debet, in qua non sibi tantum, sed etiam Societati utilis esse queat; tum circa Dominia rerum, quæ aqua & fixa esse debent; tum circa Contractus, quorum erectio Justitiam, & conservatio Fidelitatem inconcussam requirit.

CDLXXXIX. Quicquid Concivibus primario debetur, id secundario Peregrinis, quoque præstandum est. Specialis virtus circa eos exercenda est Hospitalitas.

CDXC.

1830

CDXC. Nec tantum *amicis*, sed etiam *inimicis* certa *Officia Amoris* debentur, si forte eos quoque Deo lucrari queamus. Nam & *injustissimus* hostis ejusdem nobiscum originis est, & *creatura Dei*, quam Deus tolerat, cuius *Patientiam ac Longanimitatem* hic imitari debo.

CDXCI. Supereft *Relatio mixta*, scilicet inter *conjuges*, quæ quatenus ex *pacto coalescit*, est *acquisita*; quatenus autem oritur ex *conjunctione in carnem unam*, simul ut *naturalis spectari* potest. *Officia huc pertinentia deducenda* sunt ex *fine matrimonii*, qui est, *procreatio sibolis*, quæ esse possit ad *Dei Gloriam*. *Mutuum adjutorium*, quod alii addunt, pro *accessorio* tantum est *habendum*. Ex hoc fine deducendum, tum quænam *personæ conjugium* inire debeant; tum quænam *debita illis observanda* sint.

CDXCII. *Personas oportet esse homines ratione mentis & corporis ad illum finem idoneos.* Quoad *Gradus affinitatis ratio* nequit approbare *conjugia in linea ascendentia aut descendente contracta*, quia per talia respectus *paternitatis tollitur*. Circa *Gradus collaterales* est indulgentior, præsertim cum in prima hominum origine non aliter potuerit propagatio generis humani locum habere. *Honestatis tamen & utilitatis publicæ*

blicæ caussa merito conjugia inter fratres & sorores vetantur.

CDXCIII. Officia conjugalia sunt *Honor* & *Amor*, utraque reciproce præstanda. Honoris quidem gradu *maritus* prævalet, cum *uxor* sit propter *maritum*. Interea *dominium maritale*, quale nunc est, a statu hominis recto differt.

CDXCIV. Ex *Amore conjugali* fluit, ut unius tantum *viri ac feminæ* in legitimo matrimonio fiat conjunctio. Huic directe repugnat *Polygamia*, quia *maritus tantundem Amoris* debet uxori secundum legem naturæ, quantum ab ea exspectat, quod in *Amore diviso* locum non habet. Ut jam taceam periculum *educationi* imminens contra ultimum matrimonii finem.

CDXCV. Sicut *Amor conjugalis* ardete necisti, ita etiam constanter conservari debet. Nisi enim conjugium stabile sit, finem suum attingere nequit. *Dissolutio* ergo ejus in alterutra parte contrahente culpam insig-nem, & quidem talem, quæ finem matrimonii evertat, supponit.

CDXCVI. *Castitatem* omnimodam non solum in matrimonio, sed etiam extra illud, Ratio suadet, quia nisi illa sancte servetur, finis matrimonii itidem non poterit attingi.

DE

DE PECCATIS FUGIENDIS.

CDXCVII. In Officiorum commemora-
torum exercitio iugi continetur *contraria-
rum actionum*, tanquam Legi divinæ ad-
versantium, *fuga*, quæ quatenus oppositæ
sunt *Officiis* Lege divina præscriptis *Pecca-
ta* sive *avoluta*, quatenus *Virtutibus*, *Vitia*
dicuntur, licet aliquando *Vitiæ* vox latius
pateat, & de quoque defectu, etiam
physico, usurpetur.

CDXCVIII. *Peccatum* est quæcunque
Spontanea Voluntatis propensio aut *determi-
natio* contra id, quod Lege divina est in-
junctum. Nam sicut Voluntati soli Lex est
scripta, ita *Voluntas sola peccare* potest.

CDXCIX. Ad *Peccati* naturam adeoque
pertinet, ut non solum id, quod per Le-
gem præscriptum est, *omittatur*, sed etiam
ut id, quod Lex diserte vetat, aut saltem
illo tempore fieri non vult, quia mens sem-
per in actu est, *committatur*. Unde in omni
Peccato omissionis continetur *commissio*.

D. Eo minus admitti potest eorum sen-
tentia, qui naturam Peccati in *nibili priva-
tivo* ponunt, quod describunt, ut *disconve-
nientiam cum Lege*, abstracte ab omni actu
consideratam. Bonum scopum, sed & in-

K 2 com-

¶48 DE MODO CULTUS

commoda hujus sententiae supra tetigimus.
Huc jam accedit , quod omnis conceptus
commissionis ita a conceptu peccati tollere-
tur , & quod *Peccatum* conciperetur absque
Voluntatis actu , quod per naturam rei im-
possibile est.

DI. Sicut Officii omnis ad cultum Dei
pertinentis radix est *Amor Dei* , ita peccati
omnis radix est *aversio a Deo* , seu *Odium
Dei* , quoniam per Peccatum vincula obli-
gationis , qua homo Deo tenetur , rumpun-
tur , adeoque omnes Virtutes ac Relationes
Dei , quæ obligationis illius fundamentum
sunt , abnegantur.

DII. Ex hoc fonte omnia *Peccata spe-
cialia* tanquam totidem rami possunt deri-
vari , quæ singulis Officiis sunt opposita.
Unde accuratius conceptus suos digerunt ,
qui singulis Virtutibus singula Vitia oppo-
nunt , quam qui Virtutem *in media duorum
Vitiorum* stare definiunt.

DIII. Omnium horum *Vitiorum odium*
ad cultum divinum pertinet , & ex ipsius
Amoris divini natura fluit. Quantum enim
Voluntas in Deum fertur , tantum segre-
gatur ab omni , quod Deo est injurium ,
eique fini , ad quem a Deo erat conditus ,
contrarium. Non potest enim idem velle
& non velle. Atque in eo Sanctitatis Dei
inflar

instar gerit , qui aversatur atque odio habet , quicquid Virtutibus suis adversatur.

DIV. Quamdiu autem homo nondum ita est in bono confirmatus , ut amplius peccare non possit , hinc sincerum peccati odium illius *fugam* sollicitam requirit , quo spectat præcipue , humiliter in propriæ imbecillitatis conscientia *Deo adhærere* , omnibus occasionibus tam internis quam externis , quæ seducere ad peccandum possunt , *invigilare* , *primoprimis* etiam ad minima , quæ videri queunt , peccata *motibus præstruere*.

C A P U T IV.

DE SANCTIONE CULTUS
DIVINI.

DV. Per Legum Sanctionem Jurisconsulti intelligunt proprie earum confirmationem per communicationem *Pœnæ* , quæ illas *inviolabiles* reddit. Sed quia illa simul involvit *promissionem Præmii* Legem impletibus factam , Theologi utrumque solent per Sanctionem Legis involvere. Illius & argumentum & modus nobis excutienda sunt.

K 3

DVI.

DVI. *Argumentum duo comprehendit, Præmium, nempe seu propositionem Boni exspectandi servantibus Legem, & Pœnam seu propositionem Mali eam transgredientes manentis.*

DVII. *Materia Præmii igitur est Bonum. Bonum est aut morale aut physicum. Istud dicitur honestum; hoc jucundum. Quoad essentiam rei utrumque unum & idem est. Bonum enim in genere tale est, in relatione ad nos, quod naturam nostram perficit. Quamvis ergo ipsæ facultates naturales Bonum aliquod in se contineant, eo hic non respicitur, quia id Bonum quærimus, quod Finis locum habet, Præmiique sub forma obversatur. Istud vero non est aliud, quam Bonum honestum; quia §. 387. jam submonuimus, nihil magis omnes facultates nostras perficere, quam Cultum rationalem Deo præstare.*

DVIII. *Quælibet res perficitur convenienter naturæ suæ, quando Finem attingit, ad quem est condita. Perfektio ergo hominis in eo consistit, ut secundum animam & corpus illam excelleniam assequatur, in qua plene Fini suo respondet, quam ubi possidet, tum demum perfecte secundum modulum suum beatus dici potest. Cum autem unicuique homini cum aliis hominibus*

bus communis originis, naturæ ac finis intercedat vinculum, *perfectio* singulorum etiam per aliorum in *eodem fine* conjunctiōnem, *secundario* saltem, promovetur.

DIX. *Mens sigillatim perficitur*, quando facultates ejus *perfectissime* pro natura sua circa objecta sua *operantur* secundum Finem, ad quem Deus menti has facultates indidit.

DX. *Intellectus Perfectio* dependet a *Perfectione cognitionis*. Hanc vero perficit *objectorum praestantiae amplitudo & cognoscendi modus*. Nihil ergo magis perficit intellectum, quam cognitio Dei, quia per illam versatur circa *objectum praestantissimum*, cum Deo nihil sit *praestantius*; circa *objectum amplissimum*, quia qui Deum novit, omnium rerum fontem, ordinem, fines, adeoque veram naturam intime perspectam habet: & quidem *perfectissimo*, qui obtineri potest, modo, quia ad *perfectissimam Dei lucem clara & distincta* rerum cognitio potest acquireti.

DXI *Voluntatis perfectio* dependet a *perfectione Judicij & Propensionis* sive *Amoris*. *Judicium* perficitur recta rerum omnium agnitione & aestimatione, quæ tum demum exspectanda, quando ad normam summæ veritatis ac bonitatis, quæ in Deo est, omnia

nia exiguntur. *Amor* voluntatis perficitur, tum per *objecti præcellentiam*, tum per *unionis* cum eo modum. Nihil ergo magis *Amorem* perficit quam unio cum Deo, omnis Boni exuberantissimo & simul infallibili fonte, idque modo *arctissimo*, quo creatura gaudere potest, qui ibi obtinet, ubi creatura in glorificando Deo secundum omnes vires occupata, ex hoc ipso tamquam indubitate criterio persuasissima est, quod summi favoris divini objectum sit, quia Deus frustra non vult coli.

DXII. *Corpus* perficiatur, quando ita dis-
positum est, ut *idoneum mentis organum* sit,
neque per aliquam *sanguinis* aut *motuum in-temperiem* perfectissimam illam animæ ope-
rationem impeditat. Eo requiritur perfecta
ejus sanitas & agilitas, quam licet in corrup-
to rerum statu non inveniamus, istud tamen
experientia docet, quod *intemperies sanguini-*
nis per nihil magis *corrigi* possit, quam per
Rationalem Dei Culium, ad quem pertinet,
illos affectus, motusque pravæ concupiscen-
tiæ cohibere, ex quibus omnia ferme mor-
borum genera propullulant.

DXIII. *Vinculum* denique, quod homi-
ni cum homine intercedit, perficitur, quan-
do commune *Societatis Bonum* promove-
tur, atque aliquis commune *Amoris* atque
Ho-

Honoris aliorum objectum evadit. Hæc quoque *accessoria* sunt *Virtutis Præmia*, quia *Societas civilis* non potest ad majorem pertingere felicitatem, quam ubi singuli officiis suis defungantur. Unde *Virtutis* cultor meretur pro *delicio* generis humani haberi, amari & æstimari, tanquam creatura *Imagine Dei* vestita & ad commune commodum nata.

DXIV. Hinc jam liquet, quænam sit illius *Honoris* ratio, quem inter appetenda *Virtutis Præmia* Ethici adnumerant, & quoque ex illius quoque intuitu Rationi obediendum sit.

DXV. Fixum igitur stat, non aliud *Bonum jucundum* homini optandum esse, quam quod est *honestum*, adeoque hæc tantum *diversa* ejusdem *Boni epitheta* esse, quod quatenus Lege Dei præceptum est, Deoque approbatur, *Bonum honestum*, & quatenus in perceptione sua *Conscientiam*, a mœno sensu pertentat, *jucundum* dicitur.

DXVI. Ad *Boni* ergo veri & universalis naturam duo pertinent, *primo* sancta in *celebratione Dei occupatio*; *secundo* suavis *hujus occupationis Conscientia*, inde oriens, quod persuasa sit, se conformiter Normæ Finique suo agere, atque adeo Opifici ac Domino suo placere: quæ duo a se invicem

nec sejungi possunt , nec debent.

DXVII. Quare ab una parte naturæ Dei contrariantur , qui in *solo gaudio* veram beatitudinem ponunt ; sed & ab altera parte naturam hominis pervertunt , omnisque *Boni* conceptum tollunt , qui *gaudium ac jucunditatem* ab ejus natura excludunt.

DXVIII. Cum autem jucunda hæc *Conscientia* ita sit inseparabilis a recta actione , ut etiam in hac vita ejus perpetuus comes sit , hinc sequitur , *Bonum* , quod tanquam *Præmium* cultus divini exspectatur , non *natura sua* , sed tantum *gradu* , ab ipsa Legis obedientia differre. Quare *Bonum* istud , quod ut *Præmium* exspectatur , cum *initiale* cultores Dei jam possideant , in sensu arctiori istud est , quod *Bonum summum* dicitur. *Summitas* autem Boni , tum *mensuram* , tum *durationem* maximam illius Perfectionis , cuius natura nostra capax est , complectitur.

DXIX. Quomodo Bonum secundum mensuram summum dici queat , inde possumus colligere , quando perpendiculariter , quid facultatibus partibusque nostris ad Celebrazione Dei desit ; quid nihilominus *absque contradictione* concipi queat , ab illis possideri posse.

DXX. Nihil ergo obstat , si Deus ve-

lit ,

lit, ut *Intellectus* ab omni illa *Idearum*, qua laborat, *confusione* liberetur, multoque *clariorem* tum *Perfectionum* divinarum, præcipue quarum *nexus* nondum perfe*ctum* habet; tum rerum *creatrarum*, quarum maxima pars latet: cum tamen Deus nihil fecerit, nisi in illum Finem, ut cognoscatur, *Cognitionem* possideat.

DXXI. In *Voluntate* *Judicium* ad majorē longe excellentiam evēhetur, quando nullis *errorum* *nebulis* obfuscabitur; & *Propensio*, quando *vehementissimo* absque interruptione modo in Deum feretur.

DXXII. *Corpus* itidem multo majori *Perfectione* gauderet, non solum quando expurgaretur ab omni *inordinato* *Affectuum* ac *concupiscentiarum* motu, sed etiam quando adeo *subtile* & *agile* redderetur, ut nullo terrestri *alimento*, nulla intermedia *quicte* *nexus* operationum mentis interrumperet.

DXXIII. *Societatis* *humanæ* *vinculum* non potest nisi imperfectum esse, quando illa constat individuis *imperfecte* *Virtutem* *coletibus*, aut permixta est honesti osoribus ac piorum contemtoribus. Adeoque tum summam attinget *gloriā*, quando Legis divinæ observatores omnes ejusdem plenæ *Perfectionis* compotes fient, atque ex eo

fun.

fundamento intensissimo Amore ac aestimatione se invicem complectentur, omniq[ue] cum impiis vinculo expertes erunt.

DXXIV. Et sicut in tali constitutione naturae nostrae summa consisteret *Sanctitas*, ita inde sequeretur tanto major conscientiae *Voluptas*, quanto majus plenae possessioni, præ desiderio summi *Boni*, gaudium per rei naturam ineſt.

DXXV. Ut *Bonum* hoc omni modo summum sit, duratio quoque ejus tantæ debet esse extensionis, quantæ est ipsa natura nostra; quam cum immortalem esse jam ostenderimus, illa summum *Bonum* censi nequit possidere, nisi istud simul æternum sit.

DXXVI. Hoc fastigium si creaturæ attingere detur, tum vere in *Boni summi fruitione perfecta* ac *beata* dici potest: quod quantopere differat a Philosophorum gentilium de *Bono summo* disputationibus, unicuique palam erit.

DXXVII. Nihil absurdius sane, quam cum quibusdam eorum summum hominis *Bonum* collocare in rebus, quarum voluptas sensibus percipitur; & nihil ad speciem probabilius erat, quam dicere, *Virtutem sibi esse præmium*, & satis beatum esse sapientem, etiam in Phalaridis tauro. Sed fuisse

fuisse videntur, qui priorum verba in dete-
riorem sensum, quam fas erat, aliquando
detorserunt, & de posterioribus non tam
ex sensu, quam verborum sono, improvide
judicarunt.

DXXVIII. Ex oppositionis Lege jam pa-
tebit, quid sit *Pœna*, contrarium nempe
Malum, quod itidem est aut *moralē* aut
physicū. Istud *Malum turpe* hoc *triste*
nominamus.

DXXIX. Idem hic inter utrumque *Ma-
lum* redit nexus, qui inter utrumque *Bonum*
est indicatus. Si enim nihil magis naturam
perficit, quam *Bonum honestum*, tum ni-
hil magis naturam destruit, quam *malum
turpe*, uti ex opposita singularum faculta-
tum & partium per peccatum destructione
liquet.

DXXX. Ad *mali* ergo omnimodi natu-
ram duo pertinent, primo omnis excellen-
tiæ ac *Perfectionis* creaturæ *perversio* per
talem actuositatem, quæ Gloriam Dei pro-
culcat; & secundo *tristis sensus* hujus infeli-
citatis, qui in emphasi *Mala Conscientia*
dicitur, oriens ex persuasione animi, quod
quis contra Finem suum agat, adeoque
Deo necessario displiceat.

DXXXI. Hic *sensus* licet a peccato sit
inseparabilis, ejusque perpetua umbra, ad
sum-

summum fastigium tamen nondum adscendit, quandiu per externorum beneficiorum Dei usum nondum omnis spes reconciliationis cum Deo periit, aut per longam peccandi impunitatem callum Conscientia contraxit.

DXXXII. *Summum ergo Malum*, quod magis proprie *Pœnam peccati conficit*, involvit, ut Deus, sublata illa Longanimitatis suæ dispensatione, *iram suam plene*, quoquaque dabili modo, *exerceat*: quod duo comprehendit, ab una parte omnium *repagulorum*, peccato hactenus positorum, *sublationem*, quæ insanabilem reddit hominis malitiam; ab altera parte plenissimum non solum amissi favoris divini, sed etiam contrariae ejus *iræ sensum*, idque spe omni restitutionis sublata.

DXXXIII. Ut autem Bonum *Præmii* *Malum Pœnæ* rationem habeat, intercedere debet Authoritas summi Domini, qui utrumque præstandi & facultatem & potestatem habet, quique tanquam *summus Legislator* tale *Præmium* *Pœnamque promulgavit*, & tanquam *summus Judex* ea actu suo tempore exhibet.

DXXXIV. De facultate Dei nemo dubitat, qui ejus summam Potentiam ac sufficientiam considerat. *Potestas* autem ex



iisdem fontibus fluit, ex quibus obligatio-
num vincula deduximus.

DXXXV. Si vero actu illa *Sanctio* Legis divinæ exstat, tum homini etiam de illa constare debet, idque eadem evidētia, qua de Legibus ipsis, ne ansam habeat respondendi contra Deum. Et certe eidem *Mentis tabulae*, cui Deus Legem suam inscripsit, infixa quoque est alte hæc ejusdem constabilitio; quod facile constabit, si *natura Dei & hominis* iterum excutiatur.

DXXXVI. In *natura Dei Præmiorum ac Pœnarum ceriitudo* deduci potest *tum ex Sanctitate Dei*, quæ non potest non approbare suum Cultum, & improbare, quicquid honori ejus adversatur, *tum ex scopo Regiminis ejus*, cum absque his frustanea esset totius mundi Gubernatio; *tum ex ipsa natura Legum*, quæ neque ex *Sanctitate Dei* fluenter, neque *Authoritatem* debitam haberent, si transgressoribus earum æque bene esse posset, quam obseruatoribus.

DXXXVII. Idem confirmat *natura hominis*, *tum propter facultatem dijudicandi inter Bonum & Malum ei inditam*; *tum propter vinculum* istud arctissimum, quod inter *Bonum Malumque morale ac physicum* esse modo demonstravimus.

DXXXVIII.

DXXXVIII. Sed singulas partes *Sanctionis* excutiamus. Et primo quidem *Præmia*. Quomodo de eorum certitudine dubitaret, qui reputat, ad Gloriam Dei quam maxime pertinere, *quod* ille tantæ sit sufficientiæ, ut *Bonum summum* creaturæ rationalis esse queat: *quod* voluntatem hominis appetitu hujus Boni impleverit: *quodque* actualem quandam, licet initialem tantum, illius Boni *prægustum* initialiter Legem ejus observantibus indulgeat?

DXXXIX. Neque aliud esse posse, præter id, quod descripsimus, *Præmium*, inde conficitur, quia istud accurate exprimit *ultimum Finem*, ad quem homo est conditus. Nemo enim aptior est ad Deum glorificandum, quam qui eum accuratius cognoscit, intensius æstimat ac amat, corpusque habet, quod perpetuæ actuositatis animæ in celebrando Deo utile instrumentum est, atque in hujus boni conscientia suavitatem Dei continuo gustat.

